DE

LIBELLO QUI XENOPHONTIS

FERTUR

ʼΑΘΗΝΑΙΩΝ ΠΟΛΙΤΕΙΑ

HANC THESIM FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

MEDERIC DUFOUR

Normalis Scholae olim alumnus, nunc Graecarum Litterarum institutioni in Facultate Litterarum Insulensi praepositus.

INSULIS

APUD FRATRES LE BIGOT EDITORES AC BIBLIOPOLAS

25, via Nicolai Leblanc, 25

—

ANNO MDCCCXCVI

DE

LIBELLO QUI XENOPHONTIS

FERTUR

’ΑΘΗΝΑΙΩΝ ΠΟΛΙΤΕΙΑ

enim scriptoris, in paucis mendosisque codicibus servata (1), non nullis lacunis aliisque corruptelarum generibus sunt passim oblitterata, aut, pravis lectionibus in orationem a majoribus traditam, sub specie emendandi, temere inductis, deformata vel adulterata. Itaque non nulli ac sagaces viri, acutissimo quidem ingenio atque emuncto judicio scriptoris rationem dicendi propriasque sententias restituere sibi proposuerunt. Inter quos Cobetum (2), Wachsmuthium (3), Kirchhoffium (4) atque Muellerum-Struebingium (5) commemorare eisque gratias, quod non nunquam mihi aut in rebus interpretandis aut in verbis emendandis vel maximo fuerint adjumento, agere aequum est.

Praeterea, non nullis in locis, graviores etiam difficultates doctorum virorum ingenium sollicitaverunt atque cogitationes retinuerunt. Modo enim lacunae sunt repertae, quibus rerum distributio saepius est obtecta. Modo sententiarum junctura ita est vel laxa vel intermissa, ut scriptor, neglecto sermonis ordine omissisque transitionibus, ab eo quod exponere coeperat, longe deerrare videatur. Non nunquam enim argumenta ita sunt inordinata et mixta, ut in orationis ambagibus vagemur atque quo in loco quidque ab auctore fuerit collocatum difficilli-

(1) Hoc opusculum tribus in codicibus est servatum : Vaticano, quem Kirchhoffius littera A, Muellerus-Struebingius littera V designat; Marciano, quem littera a Kirchhoffius, littera M Muellerus-Struebingius significat; Laurentiano, quem Kirchhoffius littera D, Muellerus-Struebingius littera L nuncupat. De ordine, in quem codices illos redigere oportet, et temporibus, quibus sunt descripti, disseruit Kirchhoffius in commentatione *Ueber die Schrift vom Staat der Athener* (Berolini, anno 1874).

(2) Cobetus, in libro qui Novae Lectiones inscriptus est (Lugduni Batavorum, anno 1858. p. 738 et seq.) plurimos libelli nostri locos emendavit.

(3) Curtii Wachsmuthii *Commentatio de Xenophontis qui fertur libello* Πολιτεία Ἀθηναίων (Gottingae, anno 1874).

(4) Kirchhoffii commentationem supra laudavi.

(5) Muellerus-Struebingius libellum Πολιτεία Ἀθηναίων inscriptum edidit in *Philologo, supplem.* fasc. IV, anno 1880 (*Untersuchungen ueber die Zeit, die Form und den Verfasser. Neue Textrecension und Paraphrase*).

mum sit decernere. Denique argumentationis partes non sunt collectae nec summatim ab initio repetitae, ita ut frustra conclusionem requiras, in qua scriptoris sententia reperiri possit. Unde nata est quaestio de pristina libelli forma, quam plures subtili quidem disserendi ratione comprehenderunt. Inter quos Cobetum (1), Pankowium (2), Wachsmuthium (3), Kirchhoffium (4), Schmidtium (5), Rettigium (6), Belotium (7) et Langium (8) aequum est laudare. Eorum enim opuscula attente perpendi, et, tametsi argumenta, ab iis ad confirmandam sententiam allata, persaepe refelli, eamdem tamen viam et rationem ingressus, omnem operam in perspiciendo auctoris consilio probandoque argumentationis ordine consumpsi.

Adde quod in temporum computatione plurimi haesitant. Alexandrini enim librarii, cum priscorum scriptorum opera ac libros designaverunt in classesque distribuerunt, sine ullo dubio opusculi, quod Λακεδαιμονίων πολιτεία inscriptum est, collatione in errorem inducti, libellum nostrum in Xenophontis operum numero repositum nobis tradiderunt. Sed veterum editorum testimonium recusare non dubitabis, si intento animo opusculum perlegeris temporumque indicia accurate collegeris. Ita-

(1) Cobetus, in libro qui Novae Lectiones est inscriptus, de pristina opusculi nostri forma disputavit (vide pag. 738 et seq.).

(2) Pankowii vide commentationem : *Zu Xenophons Schrift vom Staate der Athener* (Gaesen. 1866).

(3) Wachsmuthii *Commentatio de Xenophontis qui fertur libello* Πολιτεία Ἀθηναίων (vide supra).

(4) Kirchhoffii disputatio *Ueber die Schrift vom Staate der Athener* (vide supra).

(5) Schmidtii *Memoire eines Oligarchen in Athen ueber die Staatsmaximen des Demos* (Ienae, anno 1876).

(6) Rettigii *Die Planmaessigkeit der* Ἀθηναίων Πολιτεία (in *Zeitschrift für die oester. Gymnasien*, anno 1877).

(7) Belotii commentatio hoc modo est inscripta : *La République d'Athènes. Lettre sur le gouvernement des Athéniens adressée, en 378 av. J.-C., par Xénophon au roi de Sparte Agésilas.* (Lutetiae Parisiorum, anno 1880).

(8) Langii *de pristina libelli de re publica Atheniensium forma restituenda commentatio* (Pars prior. Lipsiae, anno 1883).

que, remota dubitatione, hoc satis dilucide demonstratum esse putabis, libellum de re publica Atheniensium, Xenophontis nomine commendatum, Xenophontem aetate longe praecurrere. Sed viri docti de ea re etiam nunc disputant, quo tempore et a quo scriptore opusculum fuerit inchoatum et perfectum. Plurium argumentationem perpendimus et refellimus, inter quos Roscherum (1), Boeckhium (2), Cobetum (3), Helbigium (4), Schmidtium (5), Kirchhoffium (6), Belotium (7) et Muellerum-Struebingium (8) commemorabo.

Quibus de rebus, tot tenebris obscuratis, post tam multos et doctissimos viros, novissimus atque infimus, quasi de integro disputare institui. Quod in studium incumbam, atque quod mihi proposui assequar, si res, quae disceptantur, illustravero probabilesque rationes attulero, quare libelli forma, a veteribus tradita, nobis sit accipienda. Argumenta, quibus sententiam meam comprobavi, duas in partes divisi. In altero enim capite, de pristina libelli forma rerumque ordine disserui; in altera autem parte, de tempore, quo veri simile est opusculum esse scriptum, disputavi.

(1) Roscheri *Leben, Werk and Zeitalter des Thukydides* (Gottingae, anno 1842. Vide pag. 248 et seq.; 526 et seq.).

(2) Boeckhii *Die Staatshaushaltung der Athener* (volumen I. Berolini, anno 1851. Vide pag. 432, adnot. e).

(3) Cobetus in libro supra laudato (vide pag. 738 et seq.).

(4) Helbigii *Alcibiades als politischer Schriftsteller* (in *Rhein. Mus. vol. XVI*, anno 1861, pag. 511 et seq.).

(5) Schmidtii opusculum supra laudatum.

(6) Kirchhoffii *Ueber die Abfassungszeit der Schrift vom Staate der Athener* (Berolini, anno 1878).

(7) Belotii vide commentationem supra laudatam.

(8) Muelleri-Struebingii opusculum supra laudatum.

CAPUT PRIMUM

DE LIBELLI FORMA DISPUTATIO.

CAPUT PRIMUM

DE LIBELLI FORMA DISPUTATIO

Forma libelli de re publica Atheniensium magnam ac gravem facit controversiam. Temporum enim vicissitudines, locorum mutationes, scribarum inertia editorumque audacia permulta detrimenta opusculo importaverunt scriptorisque rationem dicendi adulteraverunt. Nam si attento animo libellum perlegeris, plures lacunas reperies. Ut enim hoc uno exempto utar, quis credat virum, qui optimatium partes secutus fuerit nec solum instans tempus intuitus fuerit sed etiam praeteritum respexerit, de ostracismo illo ne verbum quidem dixisse, qui, ex aetate Clisthenis popularisque imperii apud Athenienses conditi usque ad Peloponnesiaci belli tempora, adversus optimates adhibitus fuisset optimumque conservandae illius disciplinae se praestitisset? (1). Nonne probabile est scriptorem nostrum de instituto illo paucissimis saltem verbis egisse?

Praeterea partes, ex quibus argumentatio constat, saepius sunt inaequales, nec sententiarum junctura nusquam aut laxa aut interrupta est. Alii enim commentationis loci ab aliis sunt separati et disjuncti. Alia argumenta aliis ita sunt implicata, ut difficillimum sit veram scriptoris sententiam reperire argumentandique rationem intellegere. Adde quod plures argumentationis particulae non ex ipsa re, a scriptore acta, sunt

(1) Vide LANGII commentationem supra laudatam (*Prioris partis* pag. 7).

ductae, nec, sicut aliquod membrum, orationi annexae. Denique, ut reliquas difficultates, in quibus viri docti haesitant, praetermittam, non nunquam scriptor digreditur et, omissis transitionibus, ab eo quod exponere coeperat, longe deerrat, atque eam propositionem, per quam summatim ostenderat quid esset sibi probandum, neglegere videtur.

Quibus de causis editores ac censores in corrigenda oratione et interponendis argumentationis partibus vel maximam libertatem sibi dederunt. Quorum diversas rationes exponam variaque argumenta, quibus sententiam fulserunt, perpendam.

Cobetus (1), in ea commentatione, quam in libro, qui *Novae Lectiones* est inscriptus, comprehendit, partes, ex quibus libellus noster constet, e dialogo esse depromptas, eumque dialogum a Xenophonte ipso esse scriptum demonstrare studuit. Locum in quo Cobetus argumentum illud attulit, exscribere oportet : « Saepe autem mihi in excutiendis explorandisque laceris istis antiqui operis laciniis subnata suspicio est ex aliquo dialogo haec esse deprompta, in quo de Atheniensium re publica duo inter se sic collocuti essent, ut alter eam graviter reprehenderet, cui alter ita responderit ut ea omnia jure reprehendi fateretur sed aliter quam sic democratiam constare non posse demonstraret... Sic igitur Xenophon cum Spartanis disserens patriae et civium amorem cum democratiae odio conciliabat, et illo modo poterat democratiae vitia et flagitia quamvis duriter ita reprehendere, ut nihil de ejus benevolentia et caritate ergo cives detraheretur (2) ». Quae contra argumentationem illam dici pos-

(1) Vide *Novas Lectiones* supra laudatas (pag. 748 et seq).

(2) Cobetus perspicua alicujus dialogi vestigia sibi invenire visus est in his locis : I, 1 : Περὶ δὲ τῆς Ἀθηναίων πολιτείας, ὅτι μὲν εἵλοντο τοῦτον τὸν τρόπον τῆς πολιτείας οὐκ ἐπαινῶ... Ἐπεὶ δὲ ταῦτα οὕτως ἔδοξεν αὐτοῖς, ὡς εὖ διασῴζονται τὴν πολιτείαν καὶ τἆλλα διαπράττονται ἃ δοκοῦσιν ἁμαρτάνειν τοῖς ἄλλοις Ἕλλησι, τοῦτ' ἀποδείξω. — I, 8 : Εἴη μὲν οὖν ἂν πόλις οὐκ ἀπὸ τοιούτων διαιτημάτων ἡ βελτίστη, ἀλλ' ἡ δημοκρατία μάλιστ' ἂν σῴζοιτο οὕτως· ὁ γὰρ δῆμος οὐ βούλεται εὐνομουμένης τῆς πόλεως αὐτὸς δουλεύειν, ἀλλ' ἐλεύθερος εἶναι καὶ ἄρχειν, τῆς δὲ κακονομίας αὐτῷ ὀλίγον μέλει· ὃ γὰρ

sunt Cobetus ipse providit ac refellit : « Dixerit aliquis : At ita omnes saepe solent secunda persona uti et cum lectore veluti colloqui. Facimus hoc omnes, et tu ipse saepius facis. — Scio equidem saepe ita fieri, sed in certis et quibusdam verbis et locutionibus, ut in φαίης κεν Homerico et εἴποις ἄν Atticorum et similibus. Sed quis veterum σύ in tali re posuit unquam, aut σός, ut in verbis ὁ σὸς δοῦλος ἐμὲ δέδοικεν? » Adde quod Cobetus ad corroborandam sententiam hoc etiam attulit argumentum : « Praeterea quid facies loco III, 10 : Δοκοῦσι δὲ Ἀθηναῖοι καὶ τοῦτό μοι οὐκ ὀρθῶς βουλεύεσθαι ὅτι τοὺς χείρους αἱροῦνται ἐν ταῖς πόλεσι ταῖς στασιαζούσαις. Οἳ δὲ τοῦτο γνώμῃ ποιοῦσιν...? Non est enim ejusdem hominis eadem simul reprehendere et recte et ordine fieri contendere. Video editores de Weiskii conjectura substituisse : Δοκοῦσι δὲ Ἀθηναῖοι καὶ τοῦτό τοι οὐκ ὀρθῶς βουλεύεσθαι..., sed quis admonitus non concedet voculae τοι nullum esse in ea re locum et non minus inepte illic esse insertam ac si quis Xenophonti latinum aliquod vocabulum obtrudere voluisset? In integro Xenophontis libro Atheniensium nescio quem reprehensorem dixisse suspicor : Δοκοῦσι δὲ Ἀθηναῖοι καὶ τοῦτό μοι οὐκ ὀρθῶς βουλεύεσθαι, cui defensor aliquis Atheniensium responderit : Οἳ δὲ τοῦτο γνώμῃ ποιοῦσιν; deinde haec omnia ab aliquo sic in brevius contracta esse, ut videmus. »

Cobeti discipuli atque ii qui protinus ab hac disciplina

σὺ νομίζεις οὐκ εὐνομεῖσθαι, αὐτὸς ἀπὸ τούτου ἰσχύει ὁ δῆμος καὶ ἐλεύθερος ἐστιν. — III, 1 : Καὶ τῆς Ἀθηναίων πολιτείας τὸν μὲν τρόπον οὐκ ἐπαινῶ· ἐπειδήπερ ἔδοξεν αὐτοῖς δημοκρατεῖσθαι, εὖ μοι δοκοῦσι διασῴζεσθαι τὴν δημοκρατίαν, τούτῳ τῷ τρόπῳ χρώμενοι, ᾧ ἐγὼ ἐπέδειξα. Cetera etiam et obtecta vestigia aperuit in his locis : I, 10 : ... καὶ οὔτε πατάξαι ἔξεστιν αὐτόθι οὔτε ὑπεκστήσεταί σοι ὁ δοῦλος. — I, 11 : ... ἐν δὲ τῇ Λακεδαίμονι ὁ ἐμὸς δοῦλος σὲ δέδοικεν· ἂν δὲ δεδίῃ ὁ σὸς δοῦλος ἐμέ... — II, 11 : ... ἐξ αὐτῶν μέντοι τούτων καὶ δὴ νῆές μοί εἰσι ... — II, 12 : Καὶ ἐγὼ μὲν οὐδὲν πονῶν ἐκ τῆς γῆς πάντα ταῦτα ἔχω διὰ τὴν θάλατταν· — II, 19 : Φημὶ οὖν ἔγωγε ... — II, 20 : Δημοκρατίαν δ᾽ ἐγὼ μὲν αὐτῷ τῷ δήμῳ συγγιγνώσκω. — III, 5 : Πολλὰ δ᾽ ἔτι πάνυ παραλείπω.

sunt profecti ejus sententiam novis ac probabilioribus argumentis confirmare studuerunt. Inter quos Pankowius (1) libellum de re publica Atheniensium a veteribus nobis traditum e dialogo et ipse existimat esse depromptum, in quo duo optimatium fautores inter se essent collocuti, quorum alterum Lacedaemonium fuisse putat, alterum Atheniensem quemdam, qui illo tempore a patria abesset. Pankowio veri simillimum esse videtur eum, qui partes a dialogo deprompsisset, eas collegisse et in unum ac continuum libellum ita redegisse, ut nobis integri operis speciem praeberet.

Wachsmuthius (2) Cobeti et Pankowii disciplinam est imitatus, sed ab iis dissentit, quod incredibile ducit libellum nostrum ex pluribus ac solutis constare partibus, ab editore quodam collectis et in unum opusculum contractis. Quam sententiam paucissimis explanare necesse est. Grammaticum quemdam aut Alexandrinum aut Pergameum laceratam sibi acquisivisse chartam, in qua dialogus, Xenophontis nomine commendatus, esset descriptus. Eorum qui de re publica Atheniensium inter se essent collocuti, alterum Atheniensem, alterum Lacedaemonium Wachsmuthius, auctore Pankowio, fuisse putat. Atheniensem autem non optimatibus favisse sed plebeio imperio addictum ac Pericli supparem fuisse veri simillimum esse ducit. Grammaticum nostrum, si qua dialogi particula esset integra, eam descripsisse, sed nullum in explendis lacunis posuisse studium neque ullam reficiendo dialogo dedisse operam. Wachsmuthius non solum illam de opusculi origine quaestionem solvere sed etiam solutam lectorum oculis proponere instituit. Quam ob rem hanc edendi libelli rationem est secutus. Certis ac diversis litterarum formis et quae a Lacedaemonio sunt dicta et quae ab Atheniense ei sunt objecta et quae gramma-

(1) PANKOWII opusculum vide supra laudatum.
(2) WACHSMUTHII commentationem vide supra laudatam.

ticus, ut prisci dialogi partes quasi consueret, eorum verbis addiderat.

Ne plura, quae sunt paene innumerabilia consecter, illarum argumentationum principium breviter comprehendam. Pankowius et Wachsmuthius sententiam a Cobeto expromptam quasi de integro explanaverunt atque novis ac sane probabilioribus argumentis coarguerunt. Quanquam singulas opusculi partes mihi in animo est recensere, ut quae contra meam argumentandi rationem sunt dicta illum ad modum refellam, hoc tamen admonere oportet nullas in libello reperiri sententias inter se discrepantes. Nusquam enim duas personas, neque, ut ita dicam, duas mentes invenias. Si quae inter se pugnare videntur, rebus, non verbis solum, subtiliter perpensis, ea consentire atque inter se congruere agnosces. Scriptor enim ipsam rei publicae rationem reprehendit, sed Athenienses collaudat, quod, illa disciplina instituti, eam incolumem servent et ab optimatium fautoribus tueantur. Haud igitur eamdem dicendi rationem adhibet, sive exponit quid de rei publicae forma sentiat, sive demonstrat quibus praeceptis Athenienses populare imperium confirment. Quae argumentandi ratio Cobetum, Pankowium et Wachsmuthium fefellit. Quare in libello nostro prisci dialogi vestigia sibi reperire visi sunt. Sed si eamdem viam ingrediemur atque scriptor, omnia quae discrepare existimavissent sibi consentanea esse demonstrabimus.

Quamvis multos Cobetus protulerit locos, in quibus dialogi indagaverat vestigia, haud equidem ejus in sententiam ibo. Omnes enim, non solum in quotidiano sermone, sed etiam cum scribimus, prima et secunda persona uti solemus. Nam aliqua, quae non adest, persona, non nunquam a nobis confingitur, quasi adsit, et ei oratio attribuitur ad dignitatem accommodata. Persona illa quod intendit confirmat, et, quae contra ab ea sunt dicta, nostro ac proprio nomine refellere studemus. Quae orationis figurae in Atticorum contionibus sunt frequen-

tissimae easque miror Cobetum ejusque discipulos fugisse. Omnes enim qui de ratione dicendi disseruerunt et praeceperunt figuris illis dilucide definiendis operam dederunt atque vel *sermocinationes* vel *conformationes* eas vocaverunt (1).

Adde quod non tranquilla mente sed vel maximo incensus studio scriptor sententiam suam de re publica Atheniensium declarat. Si quod argumentum contra proferendum esse putat, omnium instar quorum exardescit veritatis amor, fictam adversarii alicujus personam inducit, quocum colloquitur cujusque rationem disputandi labefactat. Praeterea veri simillimum mihi videtur opusculum illud Xenophontem multo aetate praecurrere atque etiam antiquissimum atticae orationis esse monumentum. Itaque libelli scriptorem figuris illis, sermocinatione scilicet et conformatione. usum esse puto, quod aptae ei visae essent ad expromendam sententiam refellendaque quae contra essent dicenda. Qua de causa illa dicendi ratio non solum ejus studio sed etiam argumentationis inscitiae, mea quidem sententia, est tribuenda.

Pankowius, Cobeti disciplinam secutus, duos viros inter se collocutos esse, eorumque alterum Atheniensem. alterum Lacedaemonium fuisse existimat. Opusculum attento animo perlegi neque ullum locum inveni, quem Lacedaemoniorum potius quam Atheniensium cuiquam sit veri simile tribuere. Quam ob rem quae conjecit Pankowius repudio. Wachsmuthii autem sententiam, quamvis ingeniose sit defensa, nihil probabiliorem esse duco. Ut grammaticus quidam Alexandrinus vel Pergameus laceratam acquisiverit chartam et in hoc libro dialogi inter amicum et inimicum atticae civitatis reliquias descriptas repererit, quamvis multae sint lacunae, non veri simile esse existimo verba scriptoris ita esse adulterata nec priscam libelli formam ita tenebris esse obscuratam, ut certa dialogi vestigia

(1) Ut cetera praetermittam, opusculum quod *ad Herennium* est inscriptum et M. Tullii Ciceronis fertur commemorabo. (Vide cap. LII et LIII).

pluribus in locis non inveniantur neque usquam sermonis in duas ac contrarias partes distributio nobis sit patefacta.

Omnes illae sententiae, a doctissimis sane viris expromptae acutissimum significant ingenium. Etenim non nullos locos tenebris obtectos illustraverunt intricatasque quaestiones expediverunt. Attamen illas argumentandi vias ingredi atque veram opusculi, continua oratione scripti, formam neglegere recuso.

Cobetum ejusque discipulos interpretes quidam licentia superaverunt rerumque ordinem in codicibus traditum vehementer discerpserunt atque divellerunt. Kirchhoffius (1) enim libellum nostrum e multo amplioris operis fragmentis constare existimat. Volumen autem, in quo vetus illa commentatio descripta esset, casu quodam ita laceratum fuisse ducit, ut quinque et viginti particularum, ex quibus opus constaret, sex intercciderint, undeviginti autem sint servatae nobisque traditae. Deinde grammaticum quemdam, mala quidem industria perversaque foliorum serie, in eum ordinem, quo nunc legantur multisque in locis probabili sententiarum junctura carentem, particulas illas redegisse veri simillimum esse putat. Fragmenta quae supersunt Kirchhoffius novum in ordinem distribuit et priscum rerum contextum sibi restituisse videtur.

Quas in partes Kirchhoffius opusculum de re publica Atheniensium diviserit et quem in ordinem distribuerit, breviter ac summatim ostendam.

Particulas, quibus opus decurtatum esse censet, post *tertiam*, *quintam*, *octavam*, *quintam decimam*, *sextam decimam*, *duodevicesimam* intercidisse putat. *Undeviginti* igitur particulae supersunt. *Prima* complectitur primi capitis paragraphos 1, 2 et 3 (Περὶ δὲ τῆς Ἀθηναίων πολιτείας — ταύτας ζητεῖ ὁ δῆμος ἄρχειν); — *secunda* tertii capitis paragraphos 12 et 13 (Ὑπολάβοι δέ τις ἂν — ἀπὸ τῶν ἀτίμων Ἀθήνησιν); — *tertia* primi

(1) Kirchhoffii opusculum laudo quod inscriptum est : *Ueber die Schrift von Staate der Athener* (Berolini, anno 1874).

capitis paragraphos 4 et 5 (Ἔπειτα δὲ ὃ ἔνιοι θαυμάζουσιν — ἐνίοις τῶν ἀνθρώπων); — *quarta* secundi capitis paragraphos 9 et 10 (Θυσίας δὲ καὶ ἱερὰ — ἢ οἱ ὀλίγοι καὶ οἱ εὐδαίμονες); — *quinta* primi capitis paragraphum 13 (Τοὺς δὲ γυμναζομένους αὐτόθι — μᾶλλον ἢ τοῦ αὐτοῖς συμφέροντος); — *sexta* primi capitis paragraphos 6, 7, 8 et 9 (Εἴποι δ' ἄν τις — τάχιστ' ἂν ὁ δῆμος εἰς δουλείαν καταπέσοι); — *septima* secundi capitis paragraphos 17, 18 et 19 (Ἔτι δὲ συμμαχίας — τὴν φύσιν οὐ δημοτικοί εἰσιν); — *octava* primi capitis paragraphos 10, 11 et 12 (Τῶν δούλων δ' αὖ — τὴν ἰσηγορίαν ἐποιήσαμεν); — *nona* secundi capitis paragraphos 6, 7 et 8 (Ἔπειτα νόσους τῶν καρπῶν — ἐξ ἁπάντων τῶν Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων); — *decima* secundi capitis paragraphos 11 et 12 (Τὸν δὲ πλοῦτον — ἀλλὰ τὸ μὲν τῇ τὸ δὲ τῇ); — *undecima* primi capitis paragraphos 19 et 20 atque secundi capitis paragraphos 1, 2, 3, 4 et 5 (Πρὸς δὲ τούτοις — ἢ ἐπὶ ἥττους αὐτοῦ); — *duodecima* secundi capitis paragraphos 13, 14, 15 et 16 (Ἔτι δὲ πρὸς τούτοις — ἑτέρων ἀγαθῶν μειζόνων στερήσονται); — *tertia decima* tertii capitis paragraphos 10 et 11 (Δοκοῦσι δὲ Ἀθηναῖοι — ἐπολέμουν Ἀθηναίοις); — *quarta decima* primi capitis paragraphos 14, 15, 16, 17 et 18 (Περὶ δὲ τῶν συμμάχων — καθεστᾶσι μᾶλλον); — *quinta decima* in tertio capite posteriorem partem paragraphi 1, prioremque partem paragraphi 2 (Ἔτι δὲ καὶ τάδε τινὰς ὁρῶ — τῶν τῆς πόλεως); — *sexta decima* tertii capitis paragraphos 4, 5, 6 et 7 prioremque partem paragraphi 8 (Δεῖ δὲ καὶ τάδε διαδικάζειν — ἴσας τῇ ὀλιγίστας ἀγούσῃ πόλει); — *septima decima* in tertio capite posteriorem partem paragraphi 2 paragraphumque 3 (Ἔπειτα δὲ δίκας — καὶ ἀργύριον διδοίη τις αὐτοῖς); — *duodevicesima* in tertio capite posteriorem partem paragraphi 8 paragraphumque 9 (Τούτων τοίνυν τοιούτων ὄντων — προσθέντα ἢ ἀφελόντα); — denique *undevicesima* secundi capitis paragraphum 20 atque in tertio capite priorem partem paragraphi 1 (Δημοκρατίαν δ' ἐγώ — ᾧ ἐγὼ ἐπέδειξα).

Quas mutationes ante oculos hac in tabula proponam :

PRIMUM CAPUT		SECUNDUM CAPUT		TERTIUM CAPUT	
	paragr.		*paragr.*		*paragr.*
I.	1	XI.	1	XIX.	1 (pars prior)
	2		2	XV.	1 (pars posterior)
	3		3		2 (pars prior)
III.	4		4		*lacuna*
	5		5	XVII.	2 (pars posterior)
	lacuna	IX.	6		3
VI.	6		7	XVI.	4
	7		8		5
	8	IV.	9		6
	9		10		7
VIII.	10	X.	11		8 (pars prior)
	11		12		*lacuna*
	12	XII.	13	XVIII.	8 (pars posterior)
	lacuna		14		9
V.	13		15		*lacuna*
	lacuna		16	XIII.	10
XIV.	14	VII.	17		11
	15		18	II.	12
	16		19		13
	17	XIX.	20 et		
	18				
XI.	19				
	20				

Neminem profecto Kirchhoffio modestiam crimini esse datu-rum puto. Disputationem de ejus sententia aliud in tempus reservabo. Nam illam argumentandi rationem refellam, cum

singulas partes, ex quibus libellus noster constat, perspiciam atque causas ordinis in codicibus servati exponam. Hoc tamen objicere velim, si eamdem disserendi viam ingrederemur atque Kirchhoffius, nullum opus a veteribus nobis traditum integrum esse permansurum. Ut hoc uno exemplo utar, orationem illam a Demosthene adversus Aeschinem pro Ctesiphonte habitam Kirchhoffius (1) duas in partes discerpsit, quarum alteram actionem quamdam esse ducit, multo ante forensem contentionem intra parietes a Demosthene inchoatam ac quasi adumbratam, alteram orationem veram esse existimat, apud judices dictam ac deinceps ab oratore ipso memoriter exscriptam. Saepius sane chartarum, in quibus veterum opera a librariis sunt descripta, non nulla folia sunt interposita aut plures loci lacunis aliisque damnorum generibus ita sunt corrupti, ut recentiores editores sententiarum contextum atque seriem vix complecti aut persequi possint. Attamen nec scripta emendare nec lacunas explere nec sententiarum ordinem nobis traditum mutare nisi abscisa omni spe debemus. Primum intellegere studeamus quid senserit scriptor, quid demonstrare sibi proposuerit, quibus argumentis sententiam confirmaverit, quem ad finem argumentationem deduxerit, quam demonstrandi viam ingressus, qua disputandi ratione usus, quem rerum ordinem secutus, id quod decrevisset effecerit. Collectis enim libelli partibus verbaque scriptoris mutuatus suas quidem sententias Kirchhoffius exprompsit. Haud igitur ejus opinionem probandam esse duco, sed libellum a veteribus nobis traditum, non opusculum a Kirchhoffio inchoatum, inspiciam.

Schmidtius (2) Kirchhoffii disciplinam est secutus. Particularum ordinem, ex quibus constaret libellus in codicibus servatus,

(1) Vide KIRCHHOFFII commentationem *Ueber die Redaction der Demosthenischen Kranzrede, in Abhandlungen der Kais. Akademie der Wissenschaften zu Berlin* (anno 1875, pag. 59 et seq.).

(2) Vide SCHMIDTII opusculum supra laudatum : *Memoire eines Oligarchen in Athen ueber die Staatsmaximen des Demos* (Ienae, anno 1876).

perturbatum esse putat. Plura enim folia alium in locum esse transposita, plura etiam amissa veri simillimum ei videtur. Librarium igitur quemdam novum in ordinem opusculi partes redegisse existimat. Itaque pristinam rerum distributionem restituere sibi proposuit, et, aliam atque Kirchhoffius viam ingressus aliamque disputandi rationem secutus, rem tamen ad eum finem perduxit, ut traditum sententarium ordinem vehementius etiam quam Kirchhoffius discerpserit atque divellerit. Quae in ratione disputandi a Kirchhoffio adhibita reprehendimus eadem in Schmidtii argumentatione vituperabimus. Etenim Kirchhoffii disciplina instructus alium ad exitum pervenit. Monumentis autem a veteribus exactis parcendum esse neque alia atque nobis tradiderint esse conjicienda existimo. Hoc primum nobis proponere debemus, quid senserint prisci scriptores intellegere atque expedire.

Si quae in singulis opusculi partibus discrepant, Schmidtius hac explanandi ratione est usus. Alii libellum nostrum dialogum, alii epistolam, alii commentationem, alii orationem esse contenderunt. Schmidtius autem opusculum illud a scriptore perfectum esse negat, sed inchoatum ac quasi delineatum esse putat. Quod cum adumbraret, veri est simile scriptorem quam dicendi rationem anteponeret haesitavisse, diversasque expromendae sententiae vias ingressum, illic dialogi, hic epistolae, alio in loco orationis aut commentationis forma usum esse. Illa Schmidtii sententia non probabilior quam quae de rerum ordine conjecit mihi videtur. Si opusculum nostrum de re publica Atheniensium inchoatum solum et adumbratum esse contenderis, infitias ibo. Nam si quis locus imperfectus videtur, eum temporum vicissitudinibus aut audacissimis editoribus corruptum esse opinor. Sed plurimos et absolutos locos invenias. Extrema scriptoris manus, mea quidem sententia, opusculo nostro accessit. Manci sane, non informis libelli speciem praebet. Attamen, ut sit solum adumbratum, non pro-

babile est scriptorem, prius quam manum operi admoveret, non decrevisse quam dicendi rationem inire melius esset. Etenim sive dialogi, sive epistolae, sive orationis, sive commentationis forma uti instituisti, alium in ordinem res distribuere aliisque verborum juncturis sententiam expromere debes. Adde quod argumentationis istius partes secum repugnant. Si nihil in codicibus nobis est traditum nisi disjunctae aut inordinatae inchoati libelli partes, quid refert rerum ordinem turbare omniaque permiscere (1)?

Kirchhoffii igitur et Schmidtii argumentationem Rettigius (2) refellit. Traditum sententiarum ordinem conservandum esse mira quidem subtilitate est argumentatus, difficultatesque, quibus plures loci sine ullo dubio laborant, acuta interpretandorum verborum ratione expedivit. Facere tamen non potuit, quin duas saltem particulas alium in locum transponendas esse ipse contenderit. Rettigii commentationem illam persaepe inspexi maximasque ei gratias ago, quod mihi multum profuerit.

Muellerus-Struebingius (3) tradito rerum ordini dicendique rationi ab initio usque ad finem libelli pepercit. Etenim, in illo opusculo, sibi reperire visus est orationis a Phrynicho coram optimatium fautoribus anno 415 habitae lineamenta, quae ille, cum orationem meditaretur, celeriter in charta descripsisset. Qua in adumbratione duas lacunas, alteram in paragrapho quinta decima secundi capitis, alteram in paragrapho quinta tertii capitis sese invenisse persuasum habuit. Itaque, cum

(1) De sententia a Belotio exprompta in opusculo supra laudato non disserui. Equidem non possum quin eam repudiem. Belotius enim plures particulas in libello Ἀθηναίων πολιτεία inscripto sibi reperire visus est easque novum in ordinem redegit. Eisdem de causis, de quibus in Kirchhoffii sententiam ire recusavi, non probabilem esse Belotii opinionem existimo

(2) Vide Rettigii commentationem quae inscripta est: *Die Planmaessigkeit der* Ἀθηναίων πολιτεία (in *Zeitschrift für die oester. Gymnasien*, anno 1877).

(3) Mulleri-Struebingii opusculum supra laudavi: Ἀθηναίων πολιτεία. *Die attische Schrift vom Staat der Athener* (in *Philologo. Suppl.* fasc. IV, anno 1880).

de oratione neque elaborata neque absoluta, sed de sententiis apud optimatium sodales ab oratore expromendis agi existimaret, nulli religioni habuit hiatus illos inter non nullas opusculi particulas, quibus nunc offendimur, eis sententiis ac verbis explere, quae Phrynichi personae convenientia atque ad dignitatem ejus moresque accommodata esse arbitratus est. Illam conjiciendi rationem incertissimam esse inter omnes convenit. Adde quod illa supplementa, quibus Muellerus-Struebingius, ad connectenda disjecta scriptoris membra, lacunas explevit, ad arbitrium interpretis sunt excogitata. Quare in commentatione ab eo edita potius ingenii atque sollertiae lusum quam severae indagandi rationis documentum invenias.

Langius (1) aliam atque Kirchhoffius et Muellerus-Struebingius viam est ingressus. Tradito rerum ordini et ipse pepercit, omnesque longe a recta interpretandi via deerravisse, propterea quod sententias in libello a scriptore expromptas duas in partes distributas esse persuasum habuissent, novis ac probabilibus argumentis demonstrare instituit. Si falsam illam disserendi rationem omiseris, sententiarum contextum justum nec rerum ordinem ullo modo perturbandum esse existimabis. Eamdem viam atque Langius ingressus, ejus vestigia sum persecutus. Maximas igitur ei gratias ago, quod rectam inspiciendi libelli rationem mihi aperuerit. Si posteriorem commentationis suae edidisset partem, non est dubium quin plerasque difficultates, in quibus etiam nunc haesitamus, expedivisset.

Diversas doctorum virorum, qui de libello 'Αθηναίων Πολιτεία inscripto disseruerunt, sententias breviter ac summatim exposui. Quas ut refellam, singulas opusculi partes intento animo perspicere et perpendere oportet.

Libellus in codicibus servatus in tria et disparia capita est divisus. In primo viginti, in secundo quoque viginti, in tertio

(1) L. Langii vide *De pristina libelli de re publica Atheniensium forma restituenda commentationem* supra laudatam (Pars prior. Lipsiae, anno 1883).

autem tredecim insunt paragraphi. Ex primo et secundo capite quasi corpus quoddam constare videtur, quippe quod plures sententiae subsequantur, in quibus superiores argumentationis partes collectae esse videantur. Post autem tertium caput, nullam conclusionem neque ullum orationis terminum invenias. Itaque pluribus ac doctis viris illam opusculi partem decurtatam esse veri simile visum est.

Sed ne illam argumentandi viam ingrediamur, hoc admonere oportet illam operum, a veteribus nobis traditorum, in capita, capitumque in paragraphos, distributionem a recentioribus editoribus esse adhibitam. Nullius igitur momenti apud nos esse debet. Melius est integro ac libero animo quaerere num in quo opusculi loco scriptor ipse aperuerit quid esset quod probare vellet partitionemque fecerit argumentorum, quibus sententiam corroborare atque demonstrare decrevisset.

Plerique autem opusculi nostri interpretes scriptorem in primi capitis paragrapho I a partium divisione initium cepisse consenserunt. Quem locum ante oculos proferre oportet :

Περὶ δὲ τῆς Ἀθηναίων πολιτείας, ὅτι μὲν εἵλοντο τοῦτον τὸν τρόπον τῆς πολιτείας οὐκ ἐπαινῶ διὰ τόδε ὅτι ταῦθ' ἑλόμενοι εἵλοντο τοὺς πονηροὺς ἄμεινον πράττειν ἢ τοὺς χρηστούς· διὰ μὲν οὖν τοῦτο οὐκ ἐπαινῶ. Ἐπεὶ δὲ ταῦτα οὕτως ἔδοξεν αὐτοῖς, ὡς εὖ διασῴζονται τὴν πολιτείαν καὶ τἄλλα διαπράττονται ἃ δοκοῦσιν ἁμαρτάνειν τοῖς ἄλλοις Ἕλλησι, τοῦτ' ἀποδείξω.

Quo in loco duas partes discernas velim :

1°) Scriptor rationem rei publicae gerendae ab Atheniensibus adhibitam reprehendit, quod apud eos improbi homines meliore condicione utantur quam probi. Haud igitur popularis imperii principium probat.

2°) Cum autem Athenienses illam disciplinam secuti sint, eos laudat quod eam incolumem servare conentur. Itaque si quid eis ceteri Graeci dant crimini, eos purgare contendit. Etenim quae optimatium fautores vituperare soleant, ipsam

popularis civitatis institutionem ea non posse non consequi existimat.

Quae cum ita sint, omnes opusculi partes inter se consentiunt. Athenienses enim nunc reprehendit, nunc laudat, ut qui eos reprehendat, quod plebi principatum tribuerint, laudetque, quod illam rei publicae formam omni modo tueantur. Quare non est quod, ut Cobetus ejusque discipuli, libellum nobis traditum existimes depromptum esse e dialogo, « in quo de Atheniensium re publica duo inter se sic collocuti essent, ut alter eam graviter reprehenderet, cui alter ita responderit, ut ea omnia jure reprehendi fateretur, sed aliter quam sic democratiam constare non posse demonstraret. »

Attamen, plerique libelli censores scriptorem duas in partes opusculum divisisse persuasum habuerunt, quippe quem in altera plebem omni modo rei publicae disciplinam tueri, in altera autem Athenienses criminibus, quae eis Graeci inferant, non esse dignos demonstrare instituisse opinentur. Illam sententiam Cobetus in *Novis Lectionibus* exprompsit. Verba enim ὡς εὖ διασῴζονται τὴν πολιτείαν καὶ τἄλλα διαπράττονται ἃ δοκοῦσιν ἁμαρτάνειν τοῖς ἄλλοις Ἕλλησι, τοῦτ' ἀποδείξω corrupta esse ducebat atque hunc ad modum corrigenda esse contendebat : ὡς εὖ διασῴζονταί τε τὴν πολιτείαν καὶ τἄλλα διαπράττονται, ut qui εὖ pariter ad διασῴζονται et διαπράττονται esse referendum scriptoremque res illis verbis significatas separatim tractare voluisse putaret. In illam Cobeti sententiam iverunt Kirchhoffius, Schmidtius et Rettigius.

Ut cetera praetermittam, a Langii (1) disciplina profectus, hoc admonebo, si de duabus ac diversis rebus ageretur, non verba τοῦτ' ἀποδείξω sed ταῦτ' ἀποδείξω fuisse scribenda. Etenim, sententiae, quae a conjunctione ὡς incipit, membra, quorum ad utrumque adverbium εὖ, statim post conjunctionem ὡς collo-

(1) Vide enim LANGII commentationem supra laudatam (pag. 8 et seq.).

catum, pertinet, non particulis τε... καί, sed sola particula καί scriptor copulavit, ita ut sit probabilius eum utramque rem verbis διασῴζονται τὴν πολιτείαν et τἄλλα διαπράττονται significatam conjunctim quam separatim tractare decrevisse. Neque verbum τἄλλα verbo πολιτείαν opposuit κατ' ἀντίθεσιν; sed rem verbis τἄλλα διαπράττεσθαι designatam consequi apparet rem verbis διασῴζεσθαι τὴν πολιτείαν significatam. Nam in ceteris opusculi partibus, scriptor rem utramque connexuit atque exprompsit. Ut uno et altero utar exemplo, in capit. I par. 4, hunc locum invenias : Ἔπειτα δὲ ὃ ἔνιοι θαυμάζουσιν ὅτι πανταχοῦ πλέον νέμουσι τοῖς πονηροῖς καὶ πένησι καὶ δημοτικοῖς ἢ τοῖς χρηστοῖς.., in quo non de διασῴζεσθαι τὴν πολιτείαν sed de τἄλλα διαπράττεσθαι agitur; attamen sententia est sic conclusa : ἐν αὐτῷ τούτῳ φανοῦνται τὴν δημοκρατίαν διασῴζοντες. Eodem modo, in capit. I par. 8, haec verba legere possis : Εἴη μὲν οὖν ἂν πόλις οὐκ ἀπὸ τοιούτων διαιτημάτων ἡ βελτίστη, ἀλλ' ἡ δημοκρατία μάλιστ' ἂν σῴζοιτο οὕτως. Praeterea, si duas in partes, quas conjecit Schmidtius, opusculum nostrum esset divisum, capitis I paragraphi 4-12, quae sententiarum contextum intercidunt, alium in locum transferre atque eamdemque viam atque Kirchhoffius ingredi oporteret.

Adde quod illi propositioni, per quam scriptor summatim ostendit quid esset quod probare vellet, respondet hic locus in capitis III paragr. 1 : Καὶ τῆς Ἀθηναίων πολιτείας τὸν μὲν τρόπον οὐκ ἐπαινῶ· ἐπειδήπερ δ' ἔδοξεν αὐτοῖς δημοκρατεῖσθαι, εὖ μοι δοκοῦσι διασῴζεσθαι τὴν δημοκρατίαν, τούτῳ τῷ τρόπῳ χρώμενοι ᾧ ἐγὼ ἐπέδειξα. Ut in prooemio, ita in illo loco scriptor reprehendit Athenienses, quod populare imperium adsciverint, et simul eos laudat, quod illam rei publicae formam incolumem servent; sed verba in propositione usurpata καὶ τἄλλα διαπράττονται ἃ δοκοῦσιν ἁμαρτάνειν τοῖς ἄλλοις Ἕλλησιν omisit, quasi essent supervacanea. Veri simillimum est, ut opinio fert mea, scriptorem nostrum, rebus, quas verbis διασῴζεσθαι τὴν πολιτείαν et verbis τἄλλα διαπράττεσθαι significavisset, simul eademque disserendi ratione tractatis, illis tantum

verbis in priore propositionis parte adhibitis totam argumentationem collegisse atque conclusisse. Quam sententiam probabilem esse ducebat Kirchhoffius, ut qui sensum illum alium in locum post ultima opusculi verba transferret. Schmidtius contra, qui scriptorem in capitis I paragrapho 1 libelli divisionem in duas partes : 1°) τὴν πολιτείαν εὖ διασῴζεσθαι ; 2°) τἄλλα εὖ διαπράττεσθαι esse praefatum existimaret, locum illum prioris partis conclusionem comprehendere contendit. Dixerit aliquis : at nullum orationis terminum post posteriorem libelli partem invenias. Respondet Schmidtius nullam illo in loco conclusionem reperiri, quod opusculum in codicibus traditum vel temporum vicissitudinibus vel scribarum injuriis sit mutilatum. Illam autem disputandi rationem a Schmidtio habitam non probabilem esse puto. Si post illum locum (cap. III par. 1) scriptor alteram inchoavisset argumentationem, ut in opusculi propositione, ita paucis verbis sine ullo dubio fuisset praefatus quid demonstrare instituisset. Solet enim quid sit in controversia aperire et quibus de rebus sit acturus dilucide ostendere (Cf. in capit. I paragr. 1... ὡς εὖ διασῴζονται... τοῦτ' ἀποδείξω). Post autem verba in capitis III paragrapho 1 usurpata, ecquam sententiam reperias, in qua scriptorem nos admonuisse appareat se in aliam atque integram rem esse transiturum? Quibus de causis Langii in sententiam ibo. Scriptor enim rem utramque verbis διασῴζεσθαι τὴν πολιτείαν et τἄλλα διαπράττεσθαι significatam conjunctim exposuit atque demonstravit. Cum autem argumentationem concluderet, priorem propositionis partem de industria iteravit, quod verba τὴν πολιτείαν διασῴζεσθαι et τἄλλα διαπράττεσθαι unam eamdemque rem designent. Quae verba si conclusionis locum usurpant totamque argumentationem terminant, veri simillimum mihi videtur scribam quemdam alium in locum ea transtulisse et post capita, ex quibus priorem libelli partem constare putaret, exscripsisse. Eamdem viam quam recentiores interpretes erat ingressus atque posteriorem opusculi partem truncatam ejusque conclusionem amissam esse sibi per-

suaserat. Hunc igitur locum : Καὶ τῆς Ἀθηναίων πολιτείας τὸν μὲν τρόπον οὐκ ἐπαινῶ· ἐπειδήπερ δ' ἔδοξεν αὐτοῖς δημοκρατεῖσθαι εὖ μοι δοκοῦσι διασῴζεσθαι τὴν δημοκρατίαν, τούτῳ τῷ τρόπῳ χρώμενοι, ᾧ ἐγὼ ἐπέδειξα transponenda esse censeo post ultima libelli verba Ταῦτα χρὴ λογιζόμενον μὴ νομίζειν εἶναί τι δεινὸν ἀπὸ τῶν ἀτίμων Ἀθήνησιν (capit. III parag. 13). Ne quis hoc mihi crimini det, quod, eamdem viam atque Kirchhoffius ingressus, ordinem sententiarum in codicibus traditum perturbandum esse contendam, nullam nisi sententiam illam alium in locum transferam. Qua translatione pristinam libelli formam a scribis editoribusque adulteratam mihi restituisse videor, ut qui opusculum, a veteribus nobis traditum, terminatum esse existimem. Si quis nos admonebit sententias in capite III exprompttas verbis τἄλλα διαπράττεσθαι designari posse, haud infitias ibo. Etenim neque de rei publicae principio neque de illius disciplinae salute ullo in loco agitur; sed contra dicere aequum est res verbis τἄλλα διαπράττεσθαι significatas in capitibus I et II non nusquam esse tractatas.

In paragrapho 2, duas particulas discernam. In altera enim scriptor ostendit cui civium ordini principatus sit mandatus : Πρῶτον μὲν οὖν τοῦτο ἐρῶ ὅτι δικαίως αὐτόθι καὶ οἱ πένητες καὶ ὁ δῆμος πλέον ἔχει τῶν γενναίων καὶ τῶν πλουσίων. Quo in sensu, verbum αὐτόθι maximi momenti esse existimo, utpote quod attente perpendas velim. Nam illo verbo scriptor nos admonet sese de nullius civitatis nisi Athenarum disciplina in paragraphis 2 et 3 esse acturum. Quippe verbum αὐτόθι verbis πανταχοῦ, in paragrapho 4, et ἐν πάσῃ γῇ, in paragrapho 5, respondet. Apud Athenienses principatum plebs usurpat. Quam vulgi dominationem scriptor explicat, quod plebs naves agat potestatemque civitati conciliet.

In altera autem paragraphi parte, quo modo Atheniensium plebs imperio illo utatur demonstrat. Omnium magistratuum seu per sortem seu per suffragium nemo non fit particeps atque civium cuivis apud populum orationem habere licet : ... δοκεῖ

δίκαιον εἶναι πᾶσι τῶν ἀρχῶν μετεῖναι ἔν τε τῷ κλήρῳ καὶ ἐν τῇ χειροτονίᾳ καὶ λέγειν ἐξεῖναι τῷ βουλομένῳ τῶν πολιτῶν. Qua in sententia distributionem particularum, ex quibus constant insequentes paragraphi, reperias. Quippe verbis τῶν ἀρχῶν paragraphi 3, 4 et 5; verbis autem λέγειν ἐξεῖναι τῷ βουλομένῳ paragraphi 6 et 7 respondent.

Etenim, in paragrapho 3, scriptor declarat quem ad modum plebs gerendae rei publicae facultatem usurpet. Itaque Kirchhoffii sententiam probabilem esse puto, qui verbum ἔπειτα emendaverit atque ἐπεί τοι scripserit. Plebis enim dominatio sic est circumscripta : Quotquot magistratus, seu bene seu male gesti, vel saluti vel periculo sunt toti civitati, eorum vulgus sese non curat esse particeps. Neque enim στρατηγίας neque ἱππαρχίας adipisci studet, quod sese majus emolumentum esse capturum existimat, si magistratus illos non aucupatus erit divitibusque reliquerit. Sed si quis magistratus quod commodum affert, eum, accipiendi stipendii vel augendae rei familiaris causa, obtinere conatur (1).

In paragrapho 4, scriptor demonstrat in ceteris civitatibus (verbum πανταχοῦ respondet verbo αὐτόθι) principatum pauperibus atque popularis imperii fautoribus de industria esse tributum. Nam quo in pluribus civitatibus plebs summum imperium obtinet, eo magis ipsa Atheniensium res publica firmatur. Si divites atque probi cives majoris in gubernanda civitate momenti

(1) Paragraphi 3 verba corrupta esse veri simile est. Quae in hunc modum esse restituenda existimo : Ἐπεί τοι (correxit Kirchhoffius ; — mss. : ἔπειτα) ὁπόσαι μὲν σωτηρίαν φέρουσι τῶν ἀρχῶν, χρησταὶ οὖσαι, καὶ μὴ χρησταὶ [ἢ] (expunxit Cobetus) κίνδυνον τῷ δήμῳ ἅπαντι, τούτων μὲν τῶν ἀρχῶν οὐδὲν δεῖται ὁ δῆμος μετέχειν (correxit Heindorfius; — mss. : μετεῖναι), οὔτε τῶν στρατηγιῶν (correxit Cobetus; — mss. : στρατηγικῶν κλήρων) οἴονταί σφισι χρῆναι μετεῖναι οὔτε τῶν ἱππαρχιῶν· γιγνώσκει γὰρ ὁ δῆμος ὅτι πλείω ὠφελεῖται ἐν τῷ μὴ αὐτὸς ἄρχειν ταύτας τὰς ἀρχάς, ἀλλ' ἐᾶν τοὺς δυνατωτάτους ἄρχειν. Ὁπόσαι δ' εἰσὶν ἀρχαὶ < ... > (Cobetus lacunam est suspicatus) μισθοφορίας ἕνεκα καὶ ὠφελείας εἰς τὸν οἶκον, ταύτας ζητεῖ ὁ δῆμος ἄρχειν.

essent, Athenienses optimatium partes augerent formidandosque sibi hostes pararent.

Ceteroquin scriptor, in paragrapho 5, reprehendit Athenienses, quod improbis in externis civitatibus faveant. Ubique enim terrarum (ut πανταχοῦ, in paragrapho 4, ita verba ἐν πάσῃ γῇ verbo αὐτόθι respondent) plebs, optimatibus infesta, primas habet. Optimi autem viri minore licentia utuntur, majoremque rerum honestarum diligentiam adhibent. Imo contra apud plebem plurimum inscitiae, intemperantiae improbitatisque invenias. Ad turpia enim vulgus ducit paupertas. Adde quae paupertatem sequuntur : pauperes nec recte nec liberaliter sunt instituti.

In paragraphis 6 et 7, de facultate orationis apud populum habendae omnibus civibus data agi coeptum est. Athenienses non solum ditissimo optimoque cuique civium sed etiam cuivis dicendi consulendique potestatem de industria fecerunt. Etenim si duntaxat optimis viris orationem habere sententiamque expromere licuisset, nullis nisi sui similibus prodessent. Sed, si quis vel improbus de sella surgit, ut verba faciat, quid expediat non solum sibi sed etiam sui similibus facile invenit. At dicet aliquis : quid boni vel sibi vel sui similibus vir hujusce modi excogitare possit? Nimirum intellegit vulgus pravissimi cujusque imperitiam inscitiamque cum benevolentia plura sibi commoda esse allaturam quam probissimi cujusque virtutem prudentiamque cum malevolentia.

Insequentibus in paragraphis (8 et 9) scriptor quae prioribus in particulis exprompsit colligit concluditque. Fieri potest ut, illam gubernandae rei publicae viam ingressa, plebs civitatem non optimam efficiat, illa tamen ratione incolumem vulgi dominationem servat, ut quae optimam disciplinam libertati imperioque suo non anteponat. Nam in civitate bene morata, non solum prudentissimus quisque leges fert, sed etiam optimus quisque malos castigat et de rei publicae salute consulit neque ullum nisi sanum vel consiliis adesse vel verba facere sinit. Quibus ex commodis non

est dubium quin vulgus celerrime in servitutem sit recasurum.

Deinde scriptor quae ex illa administrandae rei publicae ratione efficiantur demonstrat. Primum Athenienses non maximam licentiam servis advenisque dare non possunt. De illa consuetudine in paragraphis 10, 11 et 12 agitur : Τῶν δούλων δ'αὖ καὶ τῶν μετοίκων πλείστη ἐστὶν 'Αθήνησιν ἀκολασία (capit. I paragr. 10). Hoc admonere necesse est verbis δ'αὖ paragraphum 10 cum superiore esse conjunctam. Quippe illis verbis scriptor noster non prioribus insequentes opusculi particulas κατ' ἀντίθεσιν objicere sibi proposuit. Etenim locutio δ'αὖ illo in libelli loco idem atque nostrum « ad hoc » vel « praeterea » significat. Itaque scriptor illam adhibuit ut novam sententiam in orationem induceret (1). Adde quod verbum ἀκολασία, in primo sensu paragraphi 10 usurpatum, verbo κολάσουσιν, in superiore paragrapho adhibito, respondere liquet (2). Denique verbum ἰσηγορίαν, quod in extrema parte paragraphi 12 invenias, in eo loco quo scriptor collegit quae de servis advenisque exprompserat, non est dubium quin pertineat ad paragraphos 6 et 7, in quibus de facultate dicendi consulendique civium cuivis data disseruerat eamque comprobare studuerat. Apud Athenienses maxima licentia servi atque advenae fruuntur. Etenim consuetudo fert neque servum neque libertum neque advenam ab ingenuo homine posse verberari. Adde quod servus non loco cedet, ut tibi viam det. Cujus consuetudinis scriptor rationem expedit. Si ingenuo homini servum verberare liceret, saepe civem feriret. Quippe Athenis neque vestitu neque forma quidquam plebs servis advenisve praestat. Equidem illam causam minimi esse momenti existimo. Si quis etiam miratur quod Athenienses et delicate et splendide non nullos servos vivere

(1) Conferas oportet hunc locum (paragr. 13) : 'Εν ταῖς χορηγίαις αὖ καὶ τριηραρχίαις... Nam si αὖ in latinum transferas, nostrum « praeterea » apte adhibeas.

(2) Ἔπειτα κολάσουσιν οἱ χρηστοὶ τοὺς πονηρούς.

patiantur, hoc quoque consulto eos facere ac de industria hanc facultatem servis dedisse constabit. Cum enim maritimam ἡγεμονίαν incolumem servare oporteat maximaque pecunia ad classem tuendam conscribendamque Atheniensibus opus sit, vel ingenuum hominem servis inservire necesse est, ut, si quid lucri isti fecerint, ita percipere possint. Ubi vero servi sunt locupletes, ibi non expedit meum servum te metuere. Quo in loco scriptor noster consuetudinis illius denuntiat hoc incommodum : si me servus tuus metuit, hoc sane est verendum ne res suas mihi det, ne quo ipse in periculo versetur. Quid quod, Athenienses servis advenisque ἰσηγορίαν ideo concesserunt, quod non possunt quin eis ad percipienda vectigalia instruendamque classem utantur.

In paragrapho 13 vel plures difficultates insunt, in quibus viri docti haesitant. Cujus initium ab his verbis est captum : Τοὺς δὲ γυμναζομένους αὐτόθι καὶ τὴν μουσικὴν ἐπιτηδεύοντας καταλέλυκεν ὁ δῆμος, νομίζων τοῦτο οὐ καλὸν εἶναι, γνοὺς ὅτι οὐ δυνατὰ ταῦτά ἐστιν ἐπιτηδεύειν. Quam sententiam verbis illis scriptor expromere instituit? Primum, quem ad hominum ordinem pertinent verba : τοὺς γυμναζομένους καὶ τὴν μουσικὴν ἐπιτηδεύοντας? Num de eis agitur quos paupertas impedit quominus illas exerceant artes? Quam conjecturam non probabilem puto. Etenim in paragrapho 10 capitis II, scriptor demonstrat populum, quod sumptu suo gymnasia balneaque aedificare non posset, publicis impensis non nullas palaestras sibi construxisse ibique plus temporis consumere quam divites : Καὶ γυμνάσια καὶ λουτρὰ καὶ ἀποδυτήρια τοῖς μὲν πλουσίοις ἐστὶν ἴδια ἐνίοις, ὁ δὲ δῆμος αὐτὸς αὑτῷ οἰκοδομεῖται δημοσίᾳ (correxit Cobetus; — mss. : ἰδίᾳ) παλαίστρας πολλάς, ἀποδυτήρια, λουτρῶνας, καὶ πλείω τούτων ἀπολαύει ὁ ὄχλος ἢ οἱ ὀλίγοι καὶ οἱ εὐδαίμονες. Verba τοὺς γυμναζομένους καὶ τὴν μουσικὴν ἐπιτηδεύοντας non divites designant, ut qui choregias atque gymnasiarchias gerant propriaque gymnasia (ut in posteriore loco admoniti sumus) sibi aedificaverint. Verum enim vero de servis atque advenis, de quibus in prioribus libelli

particulis dissertum erat, illo in loco agitur. Itaque paragraphus 13 ex ordine paragraphos 10, 11 et 12 insequitur. Postquam facultates servis advenisque ab Atheniensibus datas exposuit, illius licentiae fines scriptor noster terminat. Aeschines, in capite 138 orationis *adversus Timarchum*, nos admonuit plebem servis facultatem exercendae in palaestris gymnicae artis negavisse : δοῦλον μὴ γυμνάζεσθαι μηδὲ ξηραλοιφεῖν ἐν ταῖς παλαίστραις. Advenis etiam Athenienses gymnasiorum aditu interdixerant, ut constat ex his verbis interpretis cujusdam de Aristophanis *Pluto* (vers. 953) : οὐκ ἐξῆν δὲ ξένον χορεύειν ἐν τῷ ἀστικῷ χορῷ· παρὰ τοῦτο πέπαιχεν· ἐν δὲ τῷ ληναίῳ ἐξῆν· ἐπεὶ καὶ μέτοικοι ἐχορήγουν. Nonne veri simile est, quo tempore scriptus sit libellus, advenas ab omnibus non solum majorum Dionysiorum sed etiam Lenaeorum choregiis et choris fuisse exclusos? Si de servis advenisque illo in loco agitur, verbum αὐτόθι mendosum esse liquet, et in Muelleri-Struebingii sententiam oportet ire, qui correxit αὐτῶν. At, quid scriptor verbo καταλέλυκεν significare sibi proposuit? Hoc vocabulum idem ac nostrum « exclusit » designat; atque sensum nostrum interpretari debemus, quasi hoc modo constet : vel τούτων τῶν τεχνῶν vel τῆς τούτων τῶν τεχνῶν ἀσκήσεως καταλέλυκεν. Cum igitur sensus ille ad servos advenasque pertineat, paragraphum 13 non posse non sequi superiores paragraphos neque ullam in sententiarum contextu inesse intermissionem apparet. Qua prohibitione commemorata, ejus causas scriptor explicat : 'Ακολασίαν et ἰσηγορίαν plebs servis advenisque tribuerat, quod eos sibi ad colendas artes, percipienda vectigalia atque instruendam classem necessarios esse ducebat. Sed in gymnasiis palaestrisque plebi neque advenis neque servis opus est. Infimus quisque ludis pro parte virili operam dat seque exercet. Langius (1), qui sagaciter locum illum est interpretatus, sententiam corruptam esse et in hunc modum emendandam persuasum habuit : νομίζων τοῦτο οὐ

(1) Vide LANGII commentationem supra laudatam (pag. 16 et seq.).

καλὸν εἶναι, γνοὺς ὅτι αὐτὸς δυνατὸς (mss. : ὅτι οὐ δυνατὰ) ταῦτά ἐστιν ἐπιτηδεύειν.

In reliqua paragrapho nulla inest difficultas. Verbis τοὺς γυμναζομένους et τὴν μουσικὴν ἐπιτηδεύοντας scriptor adducitur ad tractandas choregias, gymnasiarchias et trierarchias, ut quae non ἐγκύκλιοι sint, sed ceterarum liturgiarum assimiles. Jam vero in choregiis, gymnasiarchiis, trierarchiisque, divites imperant, humiles autem parent. Quippe plebs sibi oportere ducit locupletum pecuniam accipere, atque ita canere, currere, saltare, navigare, ut divites efficiantur pauperes. Illo modo rem suam auget; optimorum contra opes minuit. In paragrapho 3, scriptor idem de magistratibus nos admonuerat. Etenim plebs omnibus in rebus publicis gerendis eamdem habet rationem. Scriptor hoc addit, licet istic non sit locus, eisdem de causis plebem non quid sit aequum, sed quid sibi oporteat in judiciis aucupari. Si quis miretur rationem juris dicendi ab Atheniensibus adhibitam tam breviter esse commemoratam, hoc animadvertat non esse cur scriptor, quae de concionibus dixerit, in paragrapho 13 sit iteraturus.

In paragraphis 14, 15, 16, 17 et 18, de sociis agitur. Sententiae de ea re a scriptore expromptae suum locum obtinent. Primum enim qui cives principatum usurpent definivit (paragr. 2-9); deinde, disputavit utrum illa plebis dominatio sit commodo an detrimento iis qui civitatis non sunt participes. De servis atque advenis in paragraphis 10, 11, 12 et 13 egit; postea de gentibus, ex quibus maritimum Atheniensium imperium constat, jam disserere decrevit. At de sociis in paragraphis 4 et 5 actum est. Illo autem in loco, ut verum loquar, non de sociis disseruerat, sed qua ratione externas gentes Athenienses tractarent, exposuerat (Cf. enim verba πανταχοῦ, in paragrapho 4, et ἐν πάσῃ γῇ, in paragrapho 5). Haud igitur, quae ante dixerat, repetivit, neque artem componendarum sententiarum neglexit.

Quae de sociis sunt exprompta duabus ex particulis constant. Altera paragraphos 14 et 15; altera paragraphos 16, 17 et 18 comprehendit. In paragrapho 14, scriptor demonstrat Athenienses de industria apud socios plebeiae parti favere, quod de ipsius Atheniensium plebis salute agatur. Etenim, si in sociorum civitatibus divites atque probi cives principatum usurparent, Atheniensium ἡγεμονία confestim laberetur. Quibus de causis, optimum quemque civitatis ademptione, bonorum prescriptione, exsilio, supplicio mulctant, improborum contra res augent. Quae non sunt miranda. Etenim Atheniensium optimus quisque in externis civitatibus optimum quemque tueri conatur. In paragrapho 15, scriptor quae contra dici possunt, refellit. Si quis existimet Atheniensium imperium eo stabilius esse futurum, quo majores opes socii sibi comparare potuerint, quam plebs habeat rationem reputet : popularis imperii fautoribus magis expedire videtur Atheniensium unum quemque sociorum opes obtinere, socios autem tantum modo habere, quanto ad victum opus sit, ne insidiari possint.

Altera in particula, scriptor explicat quid sit cur plebs socios cogat Athenas ad jus petendum sese conferre : 1°) In paragrapho 16, de publicis beneficiis disserit. Primum est quod e sacramento, apud judices deposito, per totum annum mercedem percipiant. Deinde quod, domi manentes, nullis navibus e portu emissis, sociorum civitates administrent. Adde quod, si quis plebejae disciplinae est addictus, eum incolumem servant ejusque adversarium in judiciis opprimunt. Quod si judicia singulis in patria exercere liceret, nimirum, Atheniensibus infensi, eos numero vincerent obruerentque, quicumque Atheniensium disciplinae faverent. 2°) In paragrapho 17, de privatis commodis agitur. Si quae merces in Piraeum sunt importatae, percepta earum centesima parte, civitati major proventus accedit. Deinde, si cui vel domus est locata, vel jumentum vel mancipium est meritorium, eo plus lucri facit.

Praeconibus etiam sociorum adventus magnum affert emolumentum. 3°) In paragrapho 18, quantam reverentiam socii judicibus tribuant explicatur. Etenim, si socii Athenas ad jus petendum sese non conferrent, Atheniensium neminem honoribus afficerent, nisi eos qui ad ipsos navigant, imperatores, triremium praefectos, legatos. Nunc vero unus quisque sociorum judices blandiendo demereri studet, quippe qui causam sibi apud populum agendam esse intellegat: quae sane lex est Athenis. Itaque, in judiciis, civibus supplicat, et, si quis ingreditur, ejus manum prensat. Quibus de causis, socii Atheniensium plebi inserviunt.

In paragraphis 19 et 20 plerique interpretes haesitaverunt. Primum sententias eo in loco expromptas explicabo. Propter ea, quae extra patriae fines Athenienses possident, et magistratus, quos apud externas gentes gerunt, remis naves agere et ipsi et comites sensim discunt atque etiam rei navalis appellationes intellegunt. Adde quod gubernandae navis periti usu fiunt; alii enim cymbam, alii onerariam, alii triremem gubernant. Kirchhoffius (1) hunc locum nullo modo cum superiore esse conjunctum existimat, ut qui nullis transitionibus ex paragraphis 16, 17 et 18 ad paragraphos 19 et 20 adduci sibi videatur. Sed quamvis sententiarum junctura sit laxa, haud tamen intermissam eam esse duco. Etenim, in paragraphis 14-18, de sociis actum est. Omnes mari ab Atheniensibus sunt separati. Hanc sententiam, Athenienses ad tuendum atque gubernandum maritimum imperium navigare cogi, superiores loci continent. Itaque scriptor quasi de plano ad id adducitur, ut de beneficiis, quae navigatio Atheniensibus affert, disserat. In paragraphis 16, 17 et 18, quantos fructus ex eo percipiant, quod socios Athenas ad jus petendum sese conferre cogant, expedivit. Nunc contra et

(1) Vide Kirchhoffii opusculum *Ueber die Schrift vom Staate der Athener* supra laudatum.

quasi κατ' ἀντίθεσιν, quam utilitatem ex eo capiant, quod in sociorum civitates navigent, exponit. Nam hoc in loco verbum ἐκπλέοντες, in paragrapho 14 (1) usurpatum, explicat. Atqui, non est dubium quin ipse scriptor sententiarum contextum laxum esse intellexerit, ut qui paragraphos istas cum superioribus sensibus verbis πρὸς δὲ τούτοις conjunxerit, atque hunc locum superiores particulas non necessario consequi sed adjici significaverit.

Quem ad modum terminatur caput primum. Opusculum nostrum in capita a recentioribus editoribus esse distributum admonui. Nullam igitur illius divisionis rationem habere debemus.

Quae de Atheniensium sociis atque externis gentibus disseruit scriptorem adducunt ad beneficia maritimi imperii, ab Atheniensibus usurpati, demonstranda. Ut coepit, pergit, atque pro pauperum principatu dicit. Quae in paragrapho 2 capitis primi praefatus erat expedit : ... δικαίως αὐτόθι [καὶ οἱ πένητες καὶ] (seclusit Cobetus) ὁ δῆμος πλέον ἔχει τῶν γενναίων καὶ τῶν πλουσίων διὰ τόδε ὅτι ὁ δῆμός ἐστιν ὁ ἐλαύνων τὰς ναῦς καὶ ὁ τὴν δύναμιν περιτιθεὶς τῇ πόλει· καὶ γὰρ οἱ κυβερνῆται καὶ οἱ κελευσταὶ καὶ οἱ πεντηκόνταρχοι καὶ οἱ πρωρᾶται καὶ οἱ ναυπηγοί, οὗτοί εἰσιν οἱ τὴν δύναμιν περιτιθέντες τῇ πόλει πολὺ μᾶλλον ἢ οἱ ὁπλῖται (Cobetus correxit : οἱ πλούσιοι) καὶ οἱ γενναῖοι καὶ οἱ χρηστοί.

Hoc primum maritimi imperii est beneficium, quod non Atheniensibus plurimis hoplitis est opus. Pauciores enim quam hostes (de Lacedemoniis eo in loco agi liquet), frequentiores autem quam sociorum ii qui pedestribus copiis praestant, hoplitas sibi comparant (paragr. 1). In continenti terra subditis gentibus coire licet conjunctisque copiis pugnare. Maritimae autem gentes copias conjungere nequeunt; in medio enim est mare, cujus imperium obtinent Athenienses (paragr. 2). Quotquot autem civitates imperio Atheniensium subjectae in

(1) Περὶ δὲ τῶν συμμάχων, ὅτι οἱ ἐκπλέοντες...

continenti sitae sunt, earum quae sunt majores metus causa parent, quae minores propter inopiam. Nulli enim non necesse est merces vel importare vel exportare. Quod nequit, nisi iis obtemperet, qui maritimum imperium usurpant (paragr. 3). Deinde ii, qui mare in sua potestate habent, vel in potentiorum fines invadere agrosque vastare possunt, ut quibus aut nullus hostis adsit, aut pauci; si hostium exercitus accurrat, conscensis navibus discedere possunt (paragr. 4). Qui maris imperio sunt potiti, quamlibet longo itinere a finibus suis eis navigare licet; quibus autem pedestres sunt copiae, iis non multorum itinere dierum ab agro suo discedere licet, quippe qui secum copiosos ferre commeatus nequeant. Itaque, si quis pedibus incedit, eum vel per amicorum fines ire vel pugnando hostes vincere necesse est. Si quis autem navigat, ubicumque hostibus praestat, e navibus egredi copiasque exponere potest, sin minus littus legere, donec vel amicorum vel eorum qui sunt impares ad fines pervenerit (paragr. 5). Adde quod frugum damna, quae sunt a Jove, graviora eis accidunt, qui terrestre imperium usurpant; qui maritimum imperium gerunt ea leviora ferunt. Etenim, si qua regio uberiores tulerit fruges, ex ea commeatus ad illos pervenient, qui mari sunt potiti (paragr. 6).

Deinde scriptor ita digreditur, ut longe a via, quam erat ingressus, deerrare videatur. Quae de commeatibus superiore in loco (paragr. 6) dixit, istis ad eam expromendam adducitur sententiam, Athenienses propter maritimum imperium ex mutuis commerciis varios epulandi modos invenisse (paragr. 7). Eadem de causa eo sermone utuntur, in quo omnium tum Graecorum tum barbarorum linguae sint mixtae (paragr. 8). Adde quod, quia plebs intellegebat non quemvis pauperum sacrificare, epulari, fana exstruere posse, publico sumptu multas hostias mactant templaque aedificant; unde fit ut vulgus epuletur victimasque inter se partiatur (paragr. 9). Qua digressione scriptor ad id adducitur, ut hanc sententiam expromat : ut publico sumptu plebs sibi fana

exstruxit victimasque immolat, ita palaestras, vestiaria, balnea sibi aedificavit, quibus vulgus magis fruitur quam beati (paragr. 10). Cui loco quae supra de paragrapho 13 capitis primi dixi conferas velim.

Ad summam, paragraphi 7, 8, 9 et 10, hanc sententiam continebant maritimum imperium Atheniensibus maximo esse beneficio. Quam sententiam scriptor in insequentibus paragraphis 11 et 12 explicat. Graecorum vel barbarorum nulli genti nisi Atheniensibus divitias sibi comparare licet. Etenim si qua civitas vel lignis ad naves construendas aptis, vel ferro vel aere abundat, ubinam ea vendet, si illos, qui maris imperio sunt potiti, non prius amicos sibi conciliaverit? (paragr. 11). Praeterea, qui maritimis gentibus praesunt non ea exportari alio, quam ubi navigant ipsi, patientur. Etenim si quae sibi terram colendo non comparant, ea per mare a ceteris gentibus accipiunt. Adde quod eadem regio non aes simul ac ferrum affert, neque alius generis duo vel tria uni civitati suppetunt, sed hoc huic, illud illi. Qui autem maris imperium est adeptus, si quid apud exteras gentes est in promptu, colligit atque in patriam suam importat (paragr. 12).

In paragrapho 13, scriptor demonstrat juxta quamlibet continentem terram vel promontorium, vel fretum, vel insulam adjacere. Itaque qui mari dominantur ad illa loca adpellere atque eos qui in continenti habitant vel maximo damno afficere possunt. Qui locus ad paragraphos 4 et 5 attinet. Attamen non est cur post paragraphum 5 eum transferas. Etenim, in paragraphis 7, 8, 9 et 10, atque etiam 11 et 12, quae eas sequuntur, scriptor digreditur. Qua digressione peracta, ad rem illam rediit, de qua in paragrapho 6 disseruerat, et ad illa, quae ante dixerat, hunc sensum addidit, ut quo sit adductus ad concludendas sententias de maritimo imperio ab Atheniensibus adhibito expromptas.

Nam in paragraphis 14, 15 et 16, quae de maritima ἡγεμονίᾳ ab Atheniensibus usurpata dicere sibi proposuerat, terminat. Hoc enim nos admonet, unum eis deesse. Nam si insulam

incolerent, facultatem alios de arbitrio laedendi haberent, nec tamen quidquam detrimenti ipsi acciperent, quamdiu ceteris gentibus mari praestarent; neque hostium irruptionem metuerent neque vastationem agrorum paterentur. Adde quod plebeia disciplina firmior staret. Agricolae enim et quotquot Atheniensium locupletes sunt, hostibus se subjiciunt magis; plebs vero, ut quae eos nihil rerum suarum neque ferro neque igni esse vastaturos sciat, non in deditionem venit (paragr. 14). Praeterea, non timerent ne optimatium fautores civitatem proderent neve hostes in fines erumperent. Nec plebs inter se dissideret; nam si existant inter eos seditiones non hac spe tumultuentur, hostes terra arcessere posse (paragr. 15). Nunc vero, quia ab initio non insulam habitaverunt, insulis facultates suas committunt, ut qui maris imperio sint freti. Si quis Atticum agrum populatur, patiuntur. Nam, si fines tueri conentur, alia quaedam et majora bona sese amissuros esse putant (paragr. 16).

In superioribus paragraphis (1-16), scriptor expediverat quibus commodis ad servandam rei publicae disciplinam maritimum imperium esset Atheniensibus. In paragrapho 17, cum superiore loco verbis δ' αὖ, de quibus disserui, conjuncta, de illius dominationis beneficiis ad tuendas cum ceteris gentibus societates agit. Ut in eo loco, in quo Atheniensibus non multis hoplitis opus esse demonstraverat, ita in paragrapho 17, Athenienses cum Lacedemoniis plebisque principatum cum optimatium dominatione confert. Necesse est in foederibus ac societatibus eas civitates fidem servare, quaecumque paucos rebus administrandis praefecerint. At si quae plebs pepigit, in iis licet culpam in illum unum, qui suasit decretumque fecit, ita conferre, ut sese, de quibus convenerit, ea probare neget. Si quid mali accidit ex eo quod plebs scivit, queritur vulgus optimatium fautores rem corrupisse; sin quid boni evenit, ejus causam ad se ipsum refert.

Quae sententia, plebem optimatibus, si quid mali acciderit, id crimini dare, sese autem, si quid boni evenerit, laudibus extollere, ad id scriptorem adducit, ut de comoedia agat. Si quis plebem ludit, vulgus non patitur, sed si quis quem in scenam profert, sinit. Norunt enim plerumque, si quis in comoediis exagitetur, eum non e plebe esse, sed vel opulentum, vel nobilem, vel potentem. Si quis autem plebejus risum movet, ne is quidem aliam ob causam quam propter nimiam sedulitatem in rebus ad se non pertinentibus, ut qui principatum adipisci studeat.

Inde scriptor transit ad paragraphos 19 et 20, in quibus quae supra dixit concludit terminatque. Athenienses intellegunt sane qui sint egregii cives, qui nullius momenti. Cum autem alios ab aliis discernant, iis qui plebi prosunt, quamvis sint improbi, favent, egregios autem potius oderunt. Virtutem enim non beneficio, sed potius detrimento hominibus esse existimant. Plebis igitur principatum plebi condonat, nam sibi bene facere cuivis ab omnibus est concessum. Sed si quis, cum e populo non sit, mavult habitare in civitate plebis dominatui subjecta, quam in ea, quae ab optimatibus gubernatur, is inique agit, ut qui sese facilius ibi latere posse existimet, quam in re publica a paucis probisque civibus administrata.

In capitis tertii paragrapho 1 inest sententia, quam opusculi totius conclusionem et quasi terminum esse demonstravi. Cujus nullam rationem nunc habere debemus. In paragraphis 1 (posteriorem illius paragraphi particulam dico), 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8 et 9, scriptor, si quae crimini Atheniensibus sunt data, eos purgare instituisse videtur. Plura enim vitia plebejae disciplinae inhaerent nec nulla incommoda publicos Atheniensium mores sequuntur. Si quis plebem incusat, plebis causam scriptor agit. Non nulli reprehendunt Athenienses, quod ii qui vel a senatu, vel a populo jus petunt, totum annum id non impetrare possint. Quod fit nullam ob aliam causam, nisi quod propter

negotiorum frequentiam omnibus satisfacere nequeunt (in paragraphi I posteriore particula). Nam Athenienses tot dies festos celebrare solent, quot nulla graeci nominis civitas celebrat. Praeterea, de tot litibus, de tot causis publicis, de tot rebus a magistratibus gestis, cognoscere debent, quot ne universi quidem homines agere solent. Adde quod senatus multa de bello, multa de ratione conficiundae pecuniae, multa de proferendis legibus, multa de iis, quae singulis diebus accidunt, multa de sociis, multa de navalibus et templis consultat (paragr. 2). At si quis cum pecunia vel senatum vel populum adit, id quod petit impetrat. Quod crimen ab optimatium fautoribus instillatur; scriptor noster, quia non it infitias, studium suum demonstrat, qui fateatur pecunia Athenis multa posse impetrari, atque etiam fieri posse ut plura impetrentur, si plus pecuniae plures habeant numerentque. Attamen non omnibus de illatis injuriis satisfacere possunt (paragr. 3). Adde quod necesse est audire, si quis navim non refecerit, vel si templum non aedificaverit, vel de choragis festis diebus praefectis, vel de trierarchis, idque quotannis. Praeterea, omnes magistratus sunt probandi (paragr. 4). Ad tempus et causae militares sunt disceptandae, et si quod injustum facinus repente erit commissum, de eo cognoscere oportet. Denique quinto quolibet anno tributa constituunt (paragr. 5). Quae contra dici possunt, scriptor providit atque refellit. Dixerit aliquis : at de illis non statim est audiendum. Sed si de omnibus omnino est cognoscendum, intra annum id fiat necesse est. Quippe, licet per totum annum audiant, non sufficiunt, ut omnes injuria agentes coerceant (paragr. 6). Dixerit etiam aliquis : si cognoscere de omnibus necesse est, pauciores cognoscant. Sed, ut judices pauciores sint, eo magis pecuniam accipient (paragr. 7). Praeterea, si quem festum diem celebrant, judices non sedere possunt. Et dies sollemnes Athenienses multo frequentiores quam ceteri agunt. Quae cum ita sint, non possunt magistratus res omnes expedire (paragr. 8). Postea,

quae dixit scriptor his verbis colligit : quo res publica melius geratur, multa sane excogitari possunt; ut autem plebeja disciplina incolumis permaneat et simul civitas melius gubernetur, nihil reperias, nisi paullatim vel quid addatur vel quid detrahatur (paragr. 9).

Quem locum sequuntur paragraphi 10 et 11, in quibus plures haesitaverunt. Quas sententias scriptor exprompserit, operae pretium erit, si paucis verbis explanavero. Dixerit aliquis : at in hoc quoque Athenienses non rectam ineunt viam, quod in civitatibus seditione agitatis ad deteriores se applicant partes. Sed hoc etiam de industria faciunt. Nam si meliores pejoribus anteponerent, partes eorum tenerent, qui veterem civitatis disciplinam perturbare student (paragr. 10). Quoties enim optimatium partes tueri instituerunt, nequaquam hoc eis profuit, sed plebs in servitutem fuit redacta. Quae apud Boeotos et Milesios acciderunt, atque, cum Lacedaemonios Messeniis praetulissent, Lacedaemonii, subactis Messeniis, adversus Athenienses ipsos bellum susceperunt (paragr. 11). Dixerit aliquis hunc locum ea, quae in paragraphis 14 et 15 capitis I sunt dicta, repetere atque iterare. Sunt etiam qui paragraphum 11 alium in locum, post cap. I paragr. 14 transferendam esse existiment. Quod non necessarium mihi videtur. Nulli enim scriptor religioni habet sese quid illic dixerit hic iteravisse. Ut hoc uno exemplo utar, tertii capitis, de quo disserimus, in paragrapho 2, explicat propter festos dies judices non de omnibus rebus audire posse. Postea, pluribus et diversis sententiis expromptis, illam admonitionem repetit atque iterat in paragrapho 8. Quem ad modum, quae dixerat de ratione ab Atheniensibus apud externas civitates adhibita, iterat amplificatque. Adde quod non solum de sociis, sed etiam de omnibus civitatibus seditione turbatis in paragrapho 11 agitur. Ita fit ut quae non in cap. I paragr. 14 et 15, sed in cap. I paragr. 4 et 5, dicta sunt, sint repetita. At paragraphum 11 in alium locum, post cap. I paragr. 4 et 5, trans-

ferre oportet. Equidem, si quis hanc exprompserit sententiam, infitias ibo. Nam non intellegas quam ob causam paragraphus 10 istum locum usurpet. Non est cur scriptor iterum et ordine eamdem expromat sententiam. Sed, longo interposito spatio, non est mirandum eum sententiam, in cap. I paragr. 4 et 5 prolatam, repetere, ut novas ac diversas rationes afferat easque exemplis illustret.

In paragraphis 12 et 13, scriptor, quae de exsulibus dici possunt refellere studet. Dixerit enim aliquis : exsules vel maximo impedimento sunt Atheniensium civitati. Sed exsules sunt paucissimi. Nunquam enim Athenienses ἀτιμίᾳ cives mulctant, nisi vel magistratum male gesserint vel adversus rei publicae disciplinam verba fecerint. Nulli nisi per injuriam ab honoribus remoti adversus civitatem conjurare possunt. Paucissimi vero injuria ademptione civitatis sunt mulctati. Quare si quis ἀτιμίᾳ est mulctatus, non est cur is Atheniensibus sit periculo. In hoc quoque loco plures haesitaverunt. Sed rei publicae disciplina explicata, scriptor non poterat non expedire a quibus hominibus quae pericula civitati intendi possent. Si quis rei publicae obesse studet, Atheniensium disciplinae est infensus atque aegre rationem ab eis apud externas gentes adhibitam fert. Illa autem de ratione in superioribus paragraphis scriptor egit. Equidem sententiarum juncturam in hoc quoque loco laxam esse concedo; sermonis autem contextum non intermissum esse existimo.

Post postremas paragraphos illas conclusio abest sermonisque terminum desideramus. Sed mihi demonstravisse videor hanc conclusionem alium in locum (cap. III paragr. 1 in priore parte) esse translatam. Quare propriam in sedem haec verba ita restituenda esse censeo, ut opusculum nostrum desinat in hunc modum : Καὶ τῆς Ἀθηναίων πολιτείας τὸν μὲν τρόπον οὐκ ἐπαινῶ· ἐπειδήπερ δ' ἔδοξεν αὐτοῖς δημοκρατεῖσθαι, εὖ μοι δοκοῦσι διασῴζεσθαι τὴν δημοκρατίαν, τούτῳ τῷ τρόπῳ χρώμενοι, ᾧ ἐγὼ ἐπέδειξα.

Sententias, quas exprompsi de particulis, ex quibus constat opusculum de re publica Atheniensium paucissimis verbis colligere oportet. Sermonis contextum pluribus in locis laxum esse demonstravi, sed nullo in loco eum intermissum esse patuit. Quare non possum in Kirchhoffii sententiam ire, ut qui opusculi particulas alium in locum non posse transponi existimem. Quod si sententias non diligenter certum in ordinem esse redactas appareat, scriptoremque componendarum sententiarum artis fuisse rudem, hoc sane concedam. Qua de inscitia secundo in capite disserere institui.

CAPUT SECUNDUM

QUO TEMPORE LIBELLUS SIT SCRIPTUS

CAPUT SECUNDUM

QUO TEMPORE LIBELLUS SIT SCRIPTUS

Cum de libello Ἀθηναίων Πολιτεία inscripto primo in capite disserui et de junctura sententiarum disputavi, opinionem a Kirchhoffio (1) de transferendis alium in locum pluribus opusculi particulis exprompam repudiavi. Ejusdem autem Kirchhoffii (2) sententiam de tempore quo libellum nostrum esse scriptum veri sit simile probabiliorem atque probandam esse contendo.

In opusculo nostro plura temporum indicia insunt, quae, eamdem viam rationemque argumentandi ingressus atque Kirchhoffius, ostendere atque explicare velim.

Primum tempus, ultra quod non probabile est libellum nostrum de re publica Atheniensium esse scriptum, definire oportet.

Cujus temporis indicia certa paragraphi 10 et 11 tertii capitis mihi praebere videntur. Hunc locum in priore capite breviter contraxi atque in latinum verti. Nunc verba ipsa a scriptore adhibita ante oculos proferam.

Δοκοῦσι δὲ Ἀθηναῖοι καὶ τοῦτό τοι οὐκ ὀρθῶς βουλεύεσθαι ὅτι τοὺς χείρους αἱροῦνται ἐν ταῖς πόλεσι ταῖς στασιαζούσαις· οἳ δὲ τοῦτο γνώμῃ ποιοῦσιν· εἰ μὲν γὰρ ᾑροῦντο τοὺς βελτίους, ᾑροῦντ᾽ ἂν οὐχὶ τοὺς ταὐτὰ γιγνώσκοντας

(1) Kirchhoffii commentatio *Ueber die Schrift vom Staate der Athener* (Berolini, a. 1874).

(2) Kirchhoffii *Ueber die Abfassungszeit der Schrift vom Staate der Athener* (Berolini, a. 1878).

σφίσιν αὐτοῖς· ἐν οὐδεμιᾷ γὰρ πόλει τὸ βέλτιστον εὔνουν ἐστὶ τῷ δήμῳ, ἀλλὰ τὸ κάκιστον ἐν ἑκάστῃ πόλει εὔνουν τῷ δήμῳ· οἱ γὰρ ὅμοιοι τοῖς ὁμοίοις εὔνοί εἰσι. Διὰ ταῦτα οὖν Ἀθηναῖοι τὰ σφίσιν αὐτοῖς προσήκοντα αἱροῦνται. Ὁποσάκις δ' ἐπεχείρησαν αἱρεῖσθαι τοὺς βελτίστους, οὐ συνήνεγκεν αὐτοῖς, ἀλλ' ἐντὸς ὀλίγου χρόνου ὁ δῆμος ἐδούλευσεν· ὁ μὲν Βοιωτοῖς· τοῦτο δὲ ὅτε Μιλησίων εἵλοντο τοὺς βελτίστους, ἐντὸς ὀλίγου χρόνου ἀποστάντες τὸν δῆμον κατέκοψαν· τοῦτο δὲ ὅτε εἵλοντο Λακεδαιμονίους ἀντὶ Μεσσηνίων, ἐντὸς ὀλίγου χρόνου Λακεδαιμόνιοι καταστρεψάμενοι Μεσσηνίους ἐπολέμουν Ἀθηναίοις.

Quo in loco tria exempla proferuntur. De tertio primum disseram. Cum Athenienses non Messeniorum sed Lacedaemoniorum in partes sunt transgressi, Lacedaemonii Messenios subegerunt auctisque opibus bellum Atheniensibus ipsis intulerunt. Illo in loco liquet scriptorem agere de tertio Messeniorum Lacedaemoniorumque bello (ol. 79, 1 — ol. 81, 1 = 464-456) et de Lacedaemoniorum Atheniensiumque bellis, quorum alterum (ol. 79, 4 — ol. 82, 2 = 461-451) induciis in quinque annos factis est conclusum (ol. 82, 2 = 451); alterum pace in triginta annos pacta (ol. 83, 4 = 445) est terminatum. De praeteritis absolutisque temporibus loquentis speciem scriptor habet. Itaque hoc mihi veri simillimum esse videtur, opusculum nostrum, postquam Athenienses Lacedaemoniique pacem essent pacti, id est post annum 445, esse scriptum.

Quod de Milesiis, eodem in loco, est dictum vel maximi est momenti. Postquam Athenienses Mileti optimatium partes tenuerunt, Milesii ab Atheniensibus desciverunt atque plebejae disciplinae fautores trucidaverunt. Quibus de rebus nihil nisi illud monumentum acceperamus. Illam autem Milesiorum ab Atheniensibus defectionem inter pugnam ad Eurymedontem, id est annum ol. 78, 4 = 465, et ver anni ol. 91, 3 = 414 ponendam esse est veri simile, quippe quam Thucydides nullo in loco commemoraverit. Attamen non est dubium quin illam Milesiorum defectionem Atheniensibus tam gravem narravisset, si accidisset in eo temporis spatio, ad quod animum intenderat. Nuper reliquiae decreti

de Milesiis facti sunt repertae, quod ad eam defectionem pertinere videtur (1). Si litterarum figuram perspexeris archontumque rationem habueris, decretum illud inter ol. 82, 3, id est annum 450, et ol. 83, 2, id est annum 447, ponendum esse existimabis.

De tertio temporis indicio major est disceptatio. Etenim in hoc opusculi loco lacunam inesse liquet. De ceteris exemplis compluribus verbis scriptor disseruit; de Boeotis nihil nisi ὃ μὲν Βοιωτοῖς dixit. Quas res his verbis significaverit scriptor, eamdem viam rationemque ingressus atque Kirchhoffius, indagare studebo (2). Cum Persae Mardonio duce Graeciam invaserunt (ol. 75,1 = 480), Boeotia oppida principibus Thebanis erant foederata. Quae Persis sese subjecerunt atque cum Mardonio amicitiam fecerunt, dum Plataeenses Atheniensium in partes transgrediuntur. Conferto autem Persico bello, cum Athenienses Thebanis paenam minarentur, Boeotiarum civitatum societas est dissoluta Thebaeque a sociis sunt segregatae. Postea, cum Lacedaemonii (ol. 80,4 = 457) mediam Graeciam invaserunt atque cum Thebanis foedus sunt pacti, Boeotiarum civitatum societatem restituendam esse sunt stipulati. Sed, postquam, Atheniensibus ad Tanagram caesis (ol. 80,4 = 457), in Peloponnesum sunt regressi, Athenienses, Myronide duce, Thebanorum sociis libertatem polliciti, Boeotorum fines invaserunt sociorumque exercitum ad Oenophyta ceciderunt fagaveruntque (ol. 81,1 = 456). Deinde Boeotiarum civitatum societas est dissoluta oppidaque in deditionem Atheniensium venerunt. Boeotiae autem civitates, ut quae libertatem desiderarent, Atheniensium imperium aegre ferebant. Itaque rebellaverunt hostesque ad Coroneam vicerunt (ol. 83,2 = 447). Deinde Athenienses Boeotorum rebus tractandis abstinuerunt. Cum Peloponnesiaci

(1) Vide C. I. A. 22, a.

(2) Illorum temporum monumenta commemorare oportet. Cf. igitur Thucydidem I, 108; Diodorum 11, 79-83; Platonem in *Menexeno* p. 242. Quos locos laudavit Kirchhoffius (in opusculo supra laudato, vide pag. 4).

belli initium est factum, Boeotiarum civitatum foedus est renovatum (ol. 87,1 = 431).

Cum res ita se gererent, veri simile est optimates et plebejae disciplinae fautores Thebis de principatu inter se contendisse. Quas seditiones hic locus Aristotelis de seditionum causis disserentis mihi illustrare videtur (Πολιτικά, VIII, 2, 6, 1302, b, 25) : Διὰ καταφρόνησιν δὲ καὶ στασιάζουσι καὶ ἐπιτίθενται, οἷον ἔν τε ταῖς ὀλιγαρχίαις, ὅταν πλείους ὦσιν οἱ μὴ μετέχοντες τῆς πολιτείας (κρείττους γὰρ οἴονται εἶναι) καὶ ἐν ταῖς δημοκρατίαις οἱ εὔποροι καταφρονήσαντες τῆς ἀταξίας καὶ ἀναρχίας, οἷον καὶ ἐν Θήβαις μετὰ τὴν ἐν Οἰνοφύτοις μάχην κακῶς πολιτευομένοις ἡ δημοκρατία διεφθάρη... Illa Aristotelis verba hoc demonstrant, optimatium partes per tumultum rerumque perturbationem, quae pugnam ad Oenophyta erat consecuta, conjuravisse atque, principatu fautoribus plebejae disciplinae adempto, civitatum Boeotiarum societatem restituisse atque ad Coroneam Athenienses cecidisse. Quare cum plebejae disciplinae fautoribus, qui Thebis principatum obtinebant, Athenienses ad Oenophyta pugnabant atque a ratione a majoribus adhibita discedebant. Sed insolens illa ratio maximo detrimento fuit Atheniensibus, ut qui ad Coroneam sint victi. Quam ob rem praelium ad Coroneam commissnm persuasum habeo scriptorem nostrum significavisse annumque ol. 83,2 = 447 designavisse.

Ad summam, in paragrapho 11 tertii capitis tria exempla sunt allata : primum de rebus Boeotiis sumptum, anno 447 est tribuendum; secundum, quod ad Milesios pertinet, inter annos 450 et 447 est ponendum; tertium annos 456-445 comprehendit. Omnia illa tempora inter se congruunt. Quibus de causis non est dubium quin opusculum de re publica Atheniensium post annum 445 sit scriptum.

Nunc de tempore, citra quod non est veri simile libellum nostrum esse perfectum, nobis est disputandum.

Si quis opusculum attento animo perlegerit, ei non dubium

erit quin eo tempore scriptum erit, quo Athenienses sociorum principatum obtinebant maritimumque imperium sine ulla controversia exercebant. Servorum enim loco socios Athenienses habent : Πρὸς δὲ τούτοις, εἰ μὲν μὴ ἐπὶ δίκας ᾔεσαν οἱ σύμμαχοι, τοὺς ἐκπλέοντας Ἀθηναίων ἐτίμων ἂν μόνους, τούς τε στρατηγοὺς καὶ τοὺς τριηράρχους καὶ <τοὺς> πρέσβεις· νῦν δ' ἠνάγκασται τὸν δῆμον κολακεύειν τῶν Ἀθηναίων εἷς ἕκαστος τῶν συμμάχων, γιγνώσκων ὅτι δεῖ μὲν ἀφικόμενον Ἀθήναζε δίκην δοῦναι καὶ λαβεῖν οὐκ ἐν ἄλλοις τισὶν ἀλλ' ἐν τῷ δήμῳ, ὅς ἐστι δὴ νόμος Ἀθήνησι· καὶ ἀντιβολῆσαι ἀναγκάζεται ἐν τοῖς δικαστηρίοις καὶ εἰσιόντος του ἐπιλαμβάνεσθαι τῆς χειρός. Διὰ τοῦτο οὖν οἱ σύμμαχοι δοῦλοι τοῦ δήμου τῶν Ἀθηναίων καθεστᾶσι μᾶλλον (capit. I paragr. 18). Post absolutum Peloponnesiacum bellum quartumque per seculum ante Christum natum Athenienses maritimum imperium recipere studuerunt, sed principatum non tam firmum quam Periclis aetate usurpaverunt. Itaque non dubito quin in loco, quem ante oculos protuli, de dominatione, ante Peloponnesiacum bellum ab Atheniensibus adhibita, agatur. Praeterea socii tributum pendere debent, Atheniensesque vectigalium summam quinto quoque anno constituere solent : Πολλὰ ἔτι πάνυ παραλείπω· τὸ δὲ μέγιστον εἴρηται πλὴν αἱ τάξεις τοῦ φόρου· τοῦτο δὲ γίγνεται ὡς τὰ πολλὰ δι' ἔτους πεμπτοῦ (capit. III paragr. 5). Adde quod socii ad jus petendum Athenas navigare debent : Δοκεῖ δὲ ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων καὶ ἐν τῷδε κακῶς βουλεύεσθαι ὅτι τοὺς συμμάχους ἀναγκάζουσι πλεῖν ἐπὶ δίκας Ἀθήναζε· οἱ δὲ ἀντιλογίζονται ὅσα ἐν τούτῳ ἔνι ἀγαθὰ τῷ δήμῳ τῶν Ἀθηναίων (capit. I paragr. 16 et seq.). Quid quod, Athenienses bellum gerunt. Etenim, cum scriptor causas expedit, cur magistratus iis omnibus satisfacere nequeant, qui jus expetunt, hunc ad modum eloquitur : Ἔπειτα δὲ δίκας καὶ γραφὰς καὶ εὐθύνας ἐκδικάζειν ὅσας οὐδ' οἱ σύμπαντες ἄνθρωποι ἐκδικάζουσι· τὴν δὲ βουλὴν βουλεύεσθαι πολλὰ μὲν περὶ τοῦ πολέμου, πολλὰ δὲ περὶ πόρου χρημάτων... (capit. III paragr. 2). Quo in loco, si verba a scriptore adhibita ad sententiam expromendam perspexeris, eum de bello non imminente sed jam inchoato dicere persuasum habebis. Etenim neque περὶ πολέμου καὶ εἰρήνης neque περὶ πολέμου dixit, sed

περὶ τοῦ πολέμου. Qua in locutione, vocabulum τοῦ demonstrativam vim usurpat. Adde quod plebejae disciplinae fautores principatum Athenis usurpant. Quibus de causis, non est veri simile Athenienses optimatium principatum esse expertos (1) opusculumque nostrum ante annum ol. 91, 3 = 413 esse inchoatum. Ut quae antea sunt dicta colligam, libellum de re publica Atheniensium ante annum ol. 91, 3 = 413 esse scriptum opinor. Quare inter annos 445 et 413 eum esse compositum contendo (2).

Si quis opusculum attente perpenderit, plura indicia reperiet, per quae tempus, quo libellus est editus, definiet.

In paragr. I capit. II, scriptor sententiam de exercitu Atheniensium his verbis exprompsit : Τὸ δὲ ὁπλιτικὸν αὐτοῖς, ὃ ἥκιστα δοκεῖ εὖ ἔχειν Ἀθήνησιν, οὕτω καθέστηκε· τῶν μὲν πολεμίων ἥττους τε σφᾶς αὐτοὺς ἡγοῦνται εἶναι καὶ μείους (correxit Cobetus; mss. : μείζους), τῶν δὲ συμμάχων, οἳ φέρουσι τὸν φόρον καὶ κατὰ γῆν κράτιστοί εἰσι, καὶ νομίζουσι τὸ ὁπλιτικὸν ἄρκειν (correxit P. L. Courier; mss. : ἄρχειν), εἰ [τῶν συμμάχων] κρείττονές εἰσι. Quocum loco verba conferas velim : Ἑνὸς δὲ ἐνδεεῖς εἰσιν· εἰ γὰρ νῆσον οἰκοῦντες θαλαττοκράτορες ἦσαν Ἀθηναῖοι, ὑπῆρχεν ἂν αὐτοῖς ποιεῖν μὲν κακῶς, εἰ ἠβούλοντο, πάσχειν δὲ μηδέν, ἕως τῆς θαλάττης ἦρχον, μηδὲ τμηθῆναι τὴν αὐτῶν γῆν μηδὲ προσδέχεσθαι τοὺς πολεμίους· νῦν δὲ οἱ γεωργοῦντες καὶ οἱ πλούσιοι Ἀθηναίων ὑπέρχονται τοὺς πολεμίους μᾶλλον· ὁ δὲ δῆμος ἅτε εὖ εἰδὼς ὅτι οὐδὲν τῶν

(1) At dixerit aliquis hunc locum paragraphi 15 secundi capitis contra quae expromptae sint afferri posse : Πρὸς δὲ τούτοις καὶ ἑτέρου δέους ἀπηλλαγμένοι ἂν ἦσαν, εἰ νῆσον ᾤκουν, . . . μήδ' αὖ στασιάσαι τῷ δήμῳ μηδέν. . . νῦν μὲν γὰρ εἰ στασιάσειαν, ἐλπίδα ἂν ἔχοντες ἐν τοῖς πολεμίοις ἂν στασιάσειαν, ὡς κατὰ γῆν ἐπαξόμενοι· εἰ δὲ νῆσον ᾤκουν καὶ τοῦτ' ἂν ἀδεῶς εἶχεν αὐτοῖς. Sed si quis contendit sententiam meam hoc loco refelli, infitias ibo. Hoc enim admoneo scriptorem in isto sensu neque praesens neque praeteritum tempus adhibuisse, sed ἀόριστον atque εὐκτικὴν ἔγκλισιν usurpavisse. Quo fit ut optimates a Lacedaemoniis auxilium posse petere sed non petivisse hoc loco scriptor significaverit. Quibus de causis, si quis hunc locum attulerit, sententiam meam non refellet, sed potius confirmabit.

(2) Quo fit ut non possim quin sententiam a Belotio in opusculo supra laudato expromptam repudiem. Belotius enim opusculum nostrum nihil esse ducebat nisi epistolam a Xenophonte ipso scriptam Agesilaeque Lacedaemoniorum regi anno 378 ante J.-C. natum missam. Quam opinionem minime probabilem esse non dubito quin omnes consentiant.

σφῶν ἐμπρήσουσιν οὐδὲ τεμοῦσιν, ἀδεῶς ζῇ καὶ οὐκ ὑπερχόμενος αὐτούς... νῦν τάδε ποιοῦσι· τὴν μὲν οὐσίαν ταῖς νήσοις παρατίθενται, πιστεύοντες τῇ ἀρχῇ τῇ κατὰ θάλατταν, τὴν δὲ Ἀττικὴν γῆν περιορῶσι τεμνομένην, γιγνώσκοντες ὅτι εἰ αὐτὴν ἐλεήσουσιν, ἑτέρων ἀγαθῶν μειζόνων στερήσονται (capit. II paragr. 14-16). Nonne liquet scriptorem, cum illis verbis sententiam de exercitu Atheniensium urbisque situ expromat, in animo cogitare Lacedaemonios permulta et maxima Atheniensibus damna attulisse, cum, post inchoatum bellum, anno ol. 87,1 = 431, Archidamo duce, eorum fines invasissent. Paulo post (anno ol. 87,1 = 431), Athenienses classem ad Peloponnesiacum littus appulerunt, Aeginetas fugaverunt atque Locrorum Megarensiumque fines populati sunt. Quibus de causis est veri simillimum opusculum nostrum post annum ol. 87,1 = 431 esse scriptum.

Praeterea, quae scriptor de sociorum condicione dixit vel maximi sunt momenti. Sententias enim a scriptore illo in loco expromptas perpendere oportet : Περὶ δὲ τῶν συμμάχων, οἱ ἐκπλέοντες συκοφαντοῦσι, ὡς δοκοῦσι, καὶ μισοῦσι τοὺς χρηστούς, γιγνώσκοντες ὅτι μισεῖσθαι μὲν ἀνάγκη τὸν ἄρχοντα ὑπὸ τοῦ ἀρχομένου· εἰ δὲ ἰσχύσουσιν οἱ πλούσιοι καὶ οἱ χρηστοὶ (correxit Cobetus; mss. : ἰσχυροί) ἐν ταῖς πόλεσιν, ὀλιγίστικον χρόνον ἡ ἀρχὴ ἔσται τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων (correxit Cobetus; mss. : Ἀθήνησι). Διὰ ταῦτα οὖν τοὺς μὲν χρηστοὺς ἀτιμοῦσι καὶ χρήματα ἀφαιροῦνται καὶ ἐξελαύνουσι καὶ ἀποκτείνουσι, τοὺς δὲ πονηροὺς αὔξουσιν. Οἱ δὲ χρηστοὶ Ἀθηναίων τοὺς χρηστοὺς ἐν ταῖς συμμαχίσι πόλεσι σῴζουσι, γιγνώσκοντες ὅτι σφίσιν ἀγαθόν ἐστι τοὺς βελτίστους σῴζειν ἀεὶ ἐν ταῖς πόλεσιν. Εἴποι δέ τις ἂν ὅτι ἰσχύς ἐστιν αὕτη Ἀθηναίων, ἐὰν οἱ σύμμαχοι δυνατοὶ ὦσι χρήματα εἰσφέρειν. Τοῖς δὲ δημοτικοῖς δοκεῖ μεῖζον ἀγαθὸν εἶναι τὰ τῶν συμμάχων χρήματα ἕνα ἕκαστον ἔχειν Ἀθηναίων, ἐκείνους δὲ ὅσον ἀποζῆν (correxit Cobetus; mss. : ζῆν. Cf. Thucydides I, 2) καὶ ἐργάζεσθαι, ἀδυνάτους ὄντας ἐπιβουλεύειν (capit. I paragr. 14 et 15). Apparet plebem de industria sociorum optimum quemque opprimere, quippe quae sociis diffidat efficiatque ut seditioni atque defectioni occurrat.

Quo fit ut scriptor Lesbios ab Atheniensibus descivisse atque fuisse coercitos cognoverit; id est opusculum post annum ol. 88,2 = 427 est inchoatum.

Adde quod, si paragraphum 13 secundi capitis perlegeris, persuasum habebis scriptorem hoc in loco Pylum ab Atheniensibus occupatam tacite commemoravisse : Ἔτι δὲ πρὸς τούτοις παρὰ πᾶσαν ἤπειρόν ἐστιν ἢ ἀκτὴ προέχουσα ἢ νῆσος προκειμένη ἢ στενόπορόν τι· ὥστε ἔξεστιν ἐνταῦθα ἐφορμοῦσι τοῖς τῆς θαλάττης ἄρχουσι λωβᾶσθαι τοὺς τὴν ἤπειρον οἰκοῦντας. Quare probabile est opusculum post annum ol. 88, 4 = 425 esse scriptum.

Quocum loco si contuleris quae scriptor in capitis II paragraphi 5 exprompserit, existimabis eum ignoravisse Brasidam Megarensium, Heracleensium, Thessalorum, Macedoniorumque fines invasisse, atque colonias ab Atheniensibus in Thracico littore constitutas oppugnavisse. Quem locum exscribere oportet : Ἔπειτα δὲ τοῖς μὲν κατὰ θάλατταν ἄρχουσιν οἷόν τ' ἀποπλεῦσαι ἀπὸ τῆς σφετέρας αὐτῶν ὁπόσον βούλονται (correxit Cobetus; mss. : βούλει) πλοῦν, τοῖς δὲ κατὰ γῆν οὐχ οἷόν τε ἀπὸ τῆς σφετέρας αὐτῶν ἀπελθεῖν πολλῶν ἡμερῶν ὁδόν· βραδεῖαί τε γὰρ αἱ πορεῖαι καὶ σῖτον οὐχ οἷόν τε ἔχειν πολλοῦ χρόνου πεζῇ ἰόντα. Καὶ τὸν μὲν πεζῇ ἰόντα δεῖ διὰ φιλίας ἰέναι ἢ νικᾶν μαχόμενον· τὸν δὲ πλέοντα, οὗ μὲν ἂν ᾖ κρείττων ἔξεστιν ἀποβῆναι, οὗ δ' ἂν ἥττων ᾖ παραπλεῦσαι (correxit Cobetus; mss. : ταύτης τῆς γῆς ἀλλὰ παραπλεῦσαι), ἕως ἂν ἐπὶ φιλίαν χώραν ἀφίκηται ἢ ἐπὶ ἥττους αὐτοῦ. Quam ob rem verum tempus definietur, si opusculum incipiente anno ol. 89, 1 = 424 esse compositum contendes.

Nullam enim rationem sententiarum, quas scriptor de comoedia exprompsit, habere oportet (capitis secundi paragr. 18). Cleoni sane Aristophanes permultas maximasque contumelias imposuit ipsamque plebem lusit; sed hoc admonere velim permultos vel plebejae disciplinae fautores Cleoni invidisse, ut qui dictaturae in suspicionem incidisset, neque poetam, licet Δῆμον in scenam produxerit, ullum veteris disciplinae fautorem privatim insectatum esse. Quibus de causis nihil interest, opusculum esse

inchoatum sive ante sive post fabulam Ἱππῆς Athenis datam (mense Gamelione, anno ol. 88, 4 = 424). Ad summam, ut Kirchhoffius, ita ego opinor libellum de re publica Atheniensium incipiente anno ol. 88, 4 = 424 esse inchoatum atque perfectum. Muellerus-Struebingius (1) opusculum anno 415 esse compositum contendit; sed ejus in sententiam non ibo, quod nullam capitis secundi paragraphi 5 rationem habuit. Kirchhoffii autem sententiae, probabilibus argumentis fultae non possum quin assentiar.

Quibus ex rebus fit ut opusculum nostrum non a Xenophonte sit scriptum. Cobetus enim demonstravit Xenophontem intra annos 430 et 425 esse natum (2), id est eodem tempore, quo libellus esset editus.

Dixerit aliquis : at quid est cur opusculum in numerum operum a Xenophonte editorum sit repositum? Sed veri simile est librarios editoresque similitudine rerum tractarum in libellis Ἀθηναίων Πολιτεία et Λακεδαιμονίων πολιτεία inscriptis esse deceptos. Attamen, si rationem dicendi in utroque opusculo adhibitam perspexissent, persuasum habuissent nostrum libellum de re publica Atheniensium multo opusculum Xenophontis de Lacedaemoniorum civitate aetate praecurrisse.

Quippe in Xenophontis operibus non est dubium quin omnes consentiant verborum electionem expeditam esse ac promptam. In opusculo autem nostro non nunquam est operosa ac quasi jejuna. Adde quod verba, a Xenophonte adhibita, apte ac versute sunt constructa. Quae autem scriptor noster in opusculo Ἀθηναίων πολιτεία inscripto usurpavit laboriose ac tarde sunt juncta.

Quam dicendi rationem compluribus exemplis illustrare oportet.

(1) In eadem commentatione, quam supra laudavi.

(2) Vide Cobeti argumentationem summatim collectam in volum. IV operis editi a M. et A. Croiset *Histoire de la Litterature grecque* (Parisiis, anno 1896. Vide pag. 340 et seq.)

Nullis enim transitionibus neque ullis sententiarum juncturis utitur nisi his locutionibus :

Ἔπειτα : I, 3, 17, 18 ; II, 6, 8.
Ἔπειτα δέ : I, 4 ; II, 4, 5 ; III, 2.
Πρὸς δὲ καί : II, 2.
Πρὸς δὲ τούτοις : I, 17, 18, 19 ; II, 12, 15 ; III, 4, 8.
Ἔτι δέ : II, 27.
Ἔτι δὲ καί : III, 1.
Ἔτι δὲ πρὸς τούτοις : II, 13.
Διὰ τοῦτο οὖν : I, 12, 14, 18.
Διὰ ταῦτα οὖν : I, 14 ; III, 10.
Ἐπεὶ δὲ ταῦτα οὕτως ἔδοξεν αὐτοῖς : I, 1.
Ἐπειδὴ οὖν : II, 16.
Ἐπειδὴ οὖν ταῦτα οὕτως ἔχει : I, 2 ; II, 16.
Ἐπειδήπερ δ' ἔδοξεν αὐτοῖς δημοκρατεῖσθαι : III, 1.
Ἐπεί τοι καὶ οὕτως ἔχει : III, 13.
... μὲν οὖν ... δὲ ... I, 1, 2 ; III, 5.
... μὲν οὖν ... ἀλλά ... I, 8.

Denique pluribus in locis reperias verba αὖ et δ' αὖ, de quibus disserui : I, 10, 13; II, 15, 18 (1).

Nullam enim scriptor habet in dicendo ubertatem, ut qui nulla scribendi assiduitate eloquendi celeritatem incitavisset, neque praeceptionis rationem ad exercitationem accommodavisset. Itaque, si quam sententiam expromere instituit, verba ad rem illustrandam apta haud in promptu habet. Non nullis enim in locis copia dicendi non suppeditat, sed oratio tenuis et quasi exsanguis esse videtur.

Itaque saepius dialogi speciem habet opusculum. Frequentissimi enim sunt loci, in quibus vestigia dialogi videntur esse servata (2). Quibus sensibus, tardis sane et laboriosis, Cobetus in errorem est inductus, ut quem hoc fugerit scriptorem nostrum

(1) Vide supra, pag. 27.
(2) Vide supra, pag. 8 et 9.

prima et secunda persona non nusquam esse usum, quod verborum electionis constructionisque esset ignarus. Haec dialogi vestigia Cobetus sibi reperisse videbatur : I, 1, 8, 10, 11; II, 11, 12, 19, 20; III, 1, 5.

Eisdem de causis, frequentissimae sententiae ita sunt exprompttae, ut persona alicujus contra dicentis sit ficta et inducta :

Λέγουσι δέ τινες <ὅτι **Cobetus**> ἤν τις ἀργύριον ἔχων προσίῃ πρὸς βουλὴν ἢ δῆμον χρηματιεῖται. Ἐγὼ δὲ τούτοις ὁμολογήσαιμ' ἄν... **III, 3.**

Εἴποι δ' ἄν τις ὡς ἐχρῆν αὐτοὺς μὴ ἐᾶν λέγειν πάντας ἑξῆς... **I, 6.**

Εἴποι τις ἂν τί ἂν οὖν γνοίη ἀγαθὸν αὑτῷ ἢ τῷ δήμῳ τοιοῦτος ἄνθρωπος... **I, 7.**

Εἴποι δέ τις ἂν ὅτι ἰσχύς ἐστιν αὕτη Ἀθηναίων, ἐάν... **I, 15.**

Permultis in sententiis, verba ita sunt electa et constructa, ut alterum membrum, a locutionibus εἰ, ἐάν, **initium capiat, in altero autem, particula** ἄν **reperiatur; quam saepius sententiam insequitur locutio** νῦν δέ. **Haec exempla proferam :**

Εἰ μὲν γὰρ οἱ χρηστοὶ ἔλεγον καὶ ἐβουλεύοντο, τοῖς ὁμοίοις σφίσιν αὐτοῖς ἐπόριζον ἂν (**Cobetus**; **mss.** : ἦν) ἀγαθά, τοῖς δὲ δημοτικοῖς οὐκ ἀγαθά· νῦν δέ... **I, 6.**

Εἰ νόμος ἦν τὸν δοῦλον ὑπὸ τοῦ ἐλευθερόυ τύπτεσθαι... πολλάκις ἄν τις < **Morus conjecit** > οἰηθεὶς < δοῦλον **Cobetus** > εἶναι τὸν Ἀθηναῖον [δοῦλον **id.**] ἐπαταξεν ἄν ... **I, 10.**

Εἰ δὲ ἰσχύσουσιν οἱ πλούσιοι ... ὀλίγιστον χρόνον ἡ ἀρχὴ ἔσται τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων (**Cobetus**; **mss.** : Ἀθήνησι). **I, 14.**

Εἰ δὲ οἴκοι εἶχον ἕκαστοι τὰς δίκας ... τούτους ἂν σφῶν αὐτῶν ἀπώλλυσαν οἵτινες φίλοι μάλιστα ἦσαν Ἀθηναίων τῷ δήμῳ. **I, 17.**

Πρὸς δὲ τούτοις, εἰ μὲν μὴ ἐπὶ δίκας ᾔεσαν οἱ σύμμαχοι, τοὺς ἐκπλέοντας Ἀθηναίων ἐτίμων ἂν μόνους ... νῦν δέ ... **I, 18.**

Εἰ δ' οἷόν τε καὶ λαθεῖν συνελθοῦσιν εἰς ταὐτὸ τοῖς νησιώταις εἰς μίαν νῆσον, ἀπολοῦνται λιμῷ. **II, 2.**

Καὶ ἂν μέν τι κακὸν ἀποβαίνῃ ἀφ' ὧν ὁ δῆμος ἐβούλευσεν, αἰτιᾶται ὁ δῆμος ... ἐὰν δέ τι ἀγαθόν ... **II, 17.**

Cf. II, 11, 14, 15; III, 10.

Non dissimilem formam praebent sententiae in hunc modum constructae :

Ὅπου γὰρ ναυτικὴ δύναμίς ἐστιν, ἀπὸ χρημάτων ἀνάγκη τοῖς ἀνδραπόδοις δουλεύειν ... ὅπου δ' εἰσὶ πλούσιοι δοῦλοι, οὐκέτι ἐνταῦθα λυσιτελεῖ τὸν ἐμὸν δοῦλον σὲ δεδιέναι ... ἂν δὲ δεδίῃ ὁ σὸς δοῦλος ἐμέ ... I, 11. Cf. II, 4.

Ἅττα δ' ἂν ὁ δῆμος συνθῆται, ἔξεστιν αὐτῷ ... II, 17.

Praeterea in una atque eadem sententia saepius eadem verba repetit atque iterat. Non nunquam sententiae membra locutionibus διὰ τόδε, διὰ τοῦτο... ὅτι... sunt conjuncta. Pluribus etiam in locis, sensum illo modo constructum verbis διὰ τοῦτο οὖν colligit. Ut paucis exemplis utar, hos locos producam :

Περὶ δὲ τῆς Ἀθηναίων πολιτείας, ὅτι μὲν εἵλοντο τοῦτον τὸν τρόπον τῆς πολιτείας οὐκ ἐπαινῶ διὰ τόδε ὅτι ταῦθ' ἑλόμενοι εἵλοντο τοὺς πονηροὺς ἄμεινον πράττειν ἢ τοὺς χρηστούς· διὰ μὲν οὖν τοῦτο οὐκ ἐπαινῶ. I, 1. Cf. III, 1.

Πρῶτον μὲν οὖν τοῦτο ἐρῶ ὅτι δικαίως αὐτόθι [καὶ οἱ πένητες καὶ expunxit Cobetus] ὁ δῆμος πλέον ἔχει τῶν γενναίων καὶ τῶν πλουσίων διὰ τόδε ὅτι ὁ δῆμός ἐστιν ὁ ἐλαύνων τὰς ναῦς καὶ ὁ τὴν δύναμιν περιτιθεὶς τῇ πόλει· καὶ γὰρ οἱ κυβερνῆται καὶ οἱ κελευσταὶ καὶ οἱ πεντηκόνταρχοι καὶ οἱ πρῳρᾶται καὶ οἱ ναυπηγοὶ οὗτοί εἰσιν οἱ τὴν δύναμιν περιτιθέντες τῇ πόλει ... I, 2.

Ἔπειτα ὁπόσαι μὲν σωτηρίαν φέρουσι τῶν ἀρχῶν, χρησταὶ οὖσαι καὶ μὴ χρησταὶ [ἢ expunxit Cobetus] κίνδυνον τῷ δήμῳ ἅπαντι, τούτων μὲν τῶν ἀρχῶν οὐδὲν δεῖται ὁ δῆμος ... I, 3.

Denique has sententias conferas velim :

Ἐπεὶ δὲ ταῦτα οὕτως ἔδοξεν αὐτοῖς, ὡς εὖ διασῴζονται τὴν πολιτείαν καὶ τἄλλα διαπράττονται ἃ δοκοῦσιν ἁμαρτάνειν τοῖς ἄλλοις Ἕλλησι, τοῦτ' ἀποδείξω. I, 1.

Εἴη μὲν οὖν ἂν πόλις οὐκ ἀπὸ τοιούτων διαιτημάτων ἡ βελτίστη, ἀλλ' ἡ δημοκρατία μάλιστ' ἂν σῴζοιτο οὕτως. I, 8.

Εἰ δέ τις καὶ τοῦτο θαυμάζει ὅτι ἐῶσι τοὺς δούλους τρυφᾶν αὐτόθι.., καὶ τοῦτο γνώμῃ φανεῖεν ἂν ποιοῦντες. I, 11.

Δοκεῖ δὲ ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων καὶ ἐν τῷδε κακῶς βουλεύεσθαι ὅτι τοὺς συμμάχους ἀναγκάζουσι πλεῖν ἐπὶ δίκας Ἀθήναζε· οἱ δὲ ἀντιλογίζονται . . . I, 16.

Δοκοῦσι δὲ Ἀθηναῖοι καὶ τοῦτό τοι οὐκ ὀρθῶς βουλεύεσθαι ὅτι τοὺς χείρους αἱροῦνται ἐν ταῖς πόλεσι ταῖς στασιαζούσαις· οἱ δὲ τοῦτο γνώμῃ ποιοῦσιν. III, 10.

Quibus de causis totius rationis, mea quidem sententia, scriptor noster est ignarus, ut qui nullius doctrinae praesidiis ad dicendum esset paratus neque vel consuetudine vel exercitatione commoditatem orationis sibi comparare instituisset.

Itaque non possum quin ab iis dissentiam, qui scriptorem nostrum ipsum Thucydidem esse existimaverunt. Quippe a sophistarum disciplina Thucydides erat profectus atque etiam sunt in ejus opere plures loci in quibus sit manifestum Gorgiae praecepta vel maximi fuisse momenti.

Plures sane sententiae a scriptore nostro exprompta sententiis quibusdam a Thucydide probatis similes sunt. Ut uno exemplo utar, plures loci libelli nostri orationis a Pericle habitae (lib. I cap. 140-144) similitudinem habent. Fragmenta illa exscribam, ut intellegas quam dissimilis sit electio constructioque verborum in utroque opere :

Thucydides. lib. I cap. 140-144 :	Ἀθηναίων Πολιτεία cap. II par. 5 :
Αὐτουργοί τε γάρ εἰσι Πελοποννήσιοι καὶ οὔτε ἰδίᾳ οὔτε ἐν κοινῷ χρήματά ἐστιν αὐτοῖς, ἔπειτα χρονίων πολέμων καὶ διαποντίων ἄπειροι διὰ τὸ βραχέως αὐτοὶ ἐπ' ἀλλήλους ὑπὸ πενίας ἐπιφέρειν. Καὶ οἱ τοιοῦτοι οὔτε ναῦς πληροῦντες οὔτε πεζὰς στρατίας πολλάκις ἐκπέμπειν δύνανται, ἀπὸ τῶν ἰδίων τε	Ἔπειτα δὲ τοῖς μὲν κατὰ θάλατταν ἄρχουσιν οἷόν τ' ἀποπλεῦσαι ἀπὸ τῆς σφετέρας αὐτῶν ὁπόσον βούλονται πλοῦν, τοῖς δὲ κατὰ γῆν οὐχ οἷόν τε ἀπο τῆς σφετέρας αὐτῶν ἀπελθεῖν πολλῶν ἡμερῶν ὁδόν· βραδεῖαί τε γὰρ αἱ πορεῖαι καὶ σῖτον οὐχ οἷόν τε ἔχειν πολλοῦ χρόνου πεζῇ ἰόντα.

ἅμα ἄποντες καὶ ἀπὸ τῶν αὑτῶν δαπανῶντες καὶ προσέτι καὶ θαλάσσης εἰργόμενοι (c. 141, 2 et seq.).

Μάχῃ μὲν γὰρ μιᾷ πρὸς ἅπαντας Ἕλληνας δύνατοι Πελοποννήσιοι καὶ οἱ ξύμμαχοι ἀντισχεῖν, πολεμεῖν δὲ μὴ πρὸς ὁμοίαν ἀντιπαρασκευὴν ἀδύνατοι... (c. 141, 6 et seq.).

Φρούριον δ' εἰ ποιήσονται, τῆς μὲν γῆς βλάπτοιεν ἄν τι μέρος καταδρομαῖς καὶ αὐτομολίαις, οὐ μέντοι ἱκανόν γε ἔσται ἐπιτειχίζειν τε κωλύειν ἡμᾶς πλεύσαντας ἐς τὴν ἐκείνων καὶ ᾗπερ ἰσχύομεν ταῖς ναυσὶν ἀμύνεσθαι. Πλέον γὰρ ἡμεῖς ἔχομεν τοῦ κατὰ γῆν ἐκ τοῦ ναυτικοῦ ἐμπειρίας ἢ ἐκεῖνοι ἐκ τοῦ κατ' ἤπειρον ἐς τὰ ναυτικά (c. 142, 4 et seq.).

Ἤν τ' ἐπὶ τὴν χώραν ἡμῶν πεζῇ ἴωσιν, ἡμεῖς ἐπὶ τὴν ἐκείνων πλευσούμεθα, καὶ οὐκέτι ἐκ τοῦ ὁμοίου ἔσται Πελοποννήσου μέρος τι τμηθῆναι καὶ τὴν Ἀττικὴν ἅπασαν. Οἳ μὲν γὰρ οὐχ ἕξουσιν ἄλλην ἀντιλαβεῖν ἀμαχεί, ἡμῖν δέ ἐστι γῆ πολλὴ καὶ ἐν νήσοις καὶ κατ' ἤπειρον· μέγα γὰρ τὸ τῆς θαλάσσης κράτος. Σκέψασθε δέ· εἰ μὲν γὰρ ἦμεν νησιῶται, τίνες ἂν ἀληπτότεροι ἦσαν; καὶ νῦν χρὴ ὅτι ἐγγύτατα τούτου διανοηθέντας τὴν μὲν γῆν καὶ οἰκίας ἀφεῖναι, τῆς δὲ θαλάσσης καὶ πόλεως φυλακὴν ἔχειν... (c. 143, 4 et seq.).

Cap. II, par. 4 :

Ἔπειτα δὲ τοῖς ἄρχουσι τῆς θαλάττης οἷόν τ' ἐστὶ ποιεῖν ἅπερ οὐ τοῖς τῆς γῆς, ἐνίοτε τέμνειν τὴν γῆν τῶν κρειττόνων· παραπλεῖν γὰρ ἔξεστιν ὅπου ἂν μηδεὶς ᾖ πολέμιος ἢ ὅπου ἂν ὀλίγοι, ἐὰν δὲ προσίωσιν, ἀναβάντα ἀποπλεῖν.

Cap. II, par. 14 :

Ἑνὸς δὲ ἐνδεεῖς εἰσιν· εἰ γὰρ νῆσον οἰκοῦντες θαλαττοκράτορες ἦσαν Ἀθηναῖοι, ὑπῆρχεν ἂν αὐτοῖς ποιεῖν μὲν κακῶς, εἰ ἠβούλοντο, πάσχειν δὲ μηδέν, ἕως τῆς θαλάττης ἦρχον, μηδὲ τμηθῆναι τὴν αὐτῶν γῆν μηδὲ προσδέχεσθαι τοὺς πολεμιούς ...

Sed aliis in locis Thucydides a scriptore nostro dissentit. Etenim is qui opusculum de re publica Atheniensium scripsit plebem putat socios eodem loco habuisse quo servos; Thucydides contra, in oratione ab Atheniensibus apud Lacedaemonios habita, socios imperium ultro Atheniensibus obtulisse, Atheniensesque subditas gentes benigne ac liberaliter tractare declarat. Videas enim velim lib. I cap. 76, 2; 77. Quocum loco conferre oportet verba a Phrynicho facta in lib. VIII cap. 78, ex quibus socios non aegre plebejam disciplinam tulisse liquet.

Quibus de causis non ibo in sententiam a Roschero (1) exprromptam, ut qui existimem libellum nostrum aetate praecurrisse opus a Thucydide inchoatum.

Non est quod putemus probabiliorem esse sententiam eorum qui opusculum a Phrynicho esse scriptum ducant (2). Etenim, si quidem anno 424 libellus est compositus, Phrynichus non easdem partes susceperat, quas post decem annos erat acturus.

Ceteroquin hoc est sterile opusculum de re publica Atheniensium certo ac cuidam optimatium fautori tribuere studere. Melius enim est scriptoris sententiam intellegere ejusque mores effingere.

Quod ad rationem dicendi pertinet, scriptor noster, ut supra dixi, totius rationis est ignarus. Non enim spe quaestus aut gloria commotus venit ad scribendum, sed, nullis doctrinae praesidiis ad dicendum paratus neque ullam exercitationis viam ingressus ad comparandam orationis commoditatem, quantum ingenio et cogitatione potuit est consecutus. Faciundae ac poliendae orationis imperitus, nullo artificio sententiam suam distinxit, sed ad infimum et quotidianum sermonem demisit orationem, et, sine ulla suspicione nimiae cachinnationis risum pudentem ac liberalem comparavit. Sententias suas ex ordine ita exprompsit, ut orationis contextus nunquam sane sit inter-

(1) In opusculo supra laudato.
(2) Vide MUELLERI-STRUENBINGII commentationem supra laudatam.

missus, sed pluribus in locis laxatus, neque unquam religioni habuit argumenta supra enunciata repetere et quasi de integro confirmare. Quae sunt propria pristinae orationis fidemque efficiunt opusculum nostrum antiquissimum esse atticae orationis monumentum.

Veri simile est scriptorem nostrum neque ad gubernacula rei publicae accessisse, neque maximas res unquam administravisse, neque in medium rerum omnium certamen devenisse, ut qui optimatibus faveret et plebejae disciplinae esset infensus. Sed, mira quidem facultate a natura profecta, omnes animorum motus, quos hominum generi rerum natura tribuit pernoscit, causasque eas quibus mentes aut incitantur aut reflectuntur penitus perspexit. Summa illa rerum civilium cognitione et prudentia adductus est ad opusculum illud scribendum, in quo de iis rebus disserere, quae ad usum civilem moribus ac legibus sunt constitutae, decrevit. Hoc sibi proposuit, ut opinio fert mea, optimatium fautores admonere non rationem rei publicae gerendae a plebe adhibitam esse reprehendendam, sed ipsam civitatis disciplinam perturbandam atque mutandam. Pluribus etiam in opusculi locis, haec subest sententia disciplinae illius perturbationem rem publicam esse dissipaturam, imperiique maritimi ab Atheniensibus usurpati perniciem esse perfecturam. Quibus de causis, hanc sententiam instillat melius esse principatum plebis subire, atque, si quod commodum optimatibus affert vel imperium maritimum vel ipsa gubernandae rei publicae ratio, eo, omissa honorum cupiditate, frui.

Itaque opusculum nostrum praebet speciem nec dialogi, neque orationis, neque epistolae, neque obtrectationis, sed unius ex illis commentationibus exscriptis in chartis et quotidie apud nos editis. Sed in illo sermone scriptor non ex tempore dicit; expromendis enim sententiis penitus sese dat, ut optimates, quorum partibus favet, ad novam rationem vitae traducat.

CONCLUSIO

Argumentationis partes colligere, disputationem concludere, orationem terminare sententiamque meam de opusculo nostro summatim expromere velim.

Plures ac sane doctissimi viri libellum de re publica Atheniensium adulteratum et deformatum esse existimaverunt atque ejus pristinam formam restituere sibi proposuerunt, quod persuasum habuerunt scriptorem aequalem fuisse ac quasi discipulum probatorum auctorum sunt opinati. Sed is qui opusculum nostrum scripsit ediditque vel Antiphontem Thucydidemque aetate praecurrit antiquissimumque atticae orationis monumentum exegit.

Itaque non est cur traditum sententiarum ordinem perturbemus, sed satius est quibus de causis opusculi particulas illum in ordinem redegerit intellegere. Omnes enim sententiae in opusculo a scriptore expromptae quasi ad hanc sententiam spectant, rationem rei publicae gerendae a plebe adhibitam reprehendendam sane, sed ad tuendam plebejam disciplinam esse aptissimam. Quam ob rem opusculum non in duas partes est divisum, neque in sententiam eorum ire oportet, qui particulas quasdam alium in locum transponendas esse existimaverunt. Attamen in paragrapho I capitis III (Καὶ τῆς Ἀθηναίων πολιτείας — ᾧ ἐγὼ ἐπέδειξα) totius opusculi conclusionem ipsam mihi reperire visus sum, atque illum sensum alium in locum post ultima libelli verba transtuli.

Si quis scriptorem componendarum sententiarum rudem esse existimat, hoc admonebo eum nullam vel doctrinae vel

exercitationis viam esse ingressum, sed opusculum inchoavisse atque edidisse ut suam ad sententiam optimates adduceret. Persuasum enim habebat optimates longe a recta via deerrare, cum plebi publicos mores crimini darent, quippe qui satius esse existimaret ipsam civitatis disciplinam, ad tuendum imperium maritimum aptissimam, vel perturbare vel integram ac solidam esse pati, ut, si quae commoda ex ea percipere possent, eis fruerentur. Omnes igitur de libelli forma disputationes sunt irritae. Ad summam, opusculum nostrum, anno 424 ante J.-C. natum scriptum, nihil esse puto nisi commentationem ab optimate quodam de ratione ab optimatibus in civitate adhibita atque de rei publicae Atheniensium disciplina editam. Quod mihi proposueram sum assecutus, si sententiarum ordinem nobis traditum servandum esse probavi, si intimam scriptoris sententiam explanavi, ejusque libellum non solum antiquissimum atticae orationis esse monumentum, sed etiam opusculum ad delectationem aptissimum esse demonstravi. Sunt sane ampliora opera; perpauca sunt jucundiora et magis atticae civitatis disciplinam publicosque mores illustrant.

Mederic Dufour.

Vidi ac perlegi :
Lutetiae Parisiorum in Sorbona,
a. d. XI Kal. mai anno MDCCCXCVI,
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus :
A. HIMLY.

Typis mandetur.
Academiae Parisiensis Rector :
GREARD.

INDEX CAPITUM

Lille. — Typ. & Lith. Le Bigot frères, Rue Nationale, 68.